



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XII. Regulæ Cancellariæ Innocentii XII. brevibus notis inspersæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

generalibus derogationibus etiam motu proprio, & ex certa scientia factis, nisi fuerit de illis expressa mentio. *Reg. 71.*

C A P U T XII.

1 Regulae, 2 Ordinationes, & 3 Constitutiones Cancellariae Apostolicae
 SS. D. N. INNOCENTII Divina Providentia PP. XII.

Brevibus notis inspersa.

1. *Regulae* dicuntur, quod respiciant sublimitatem agendorum.

2. *Ordinationes*, quod modum & ordinem agendorum.

3. *Constitutiones*, quod obligent sub culpa & poena; Cum enim diversa sint nomina, diversa quoque erunt significationes.

4. Antea dictus Antonius Pignatelli fuit Cardinalis & Atchi-Episcopus Neopolitanus.

Prooemium.

SANCTISSIMUS in Christo Pater, & D. N. D. INNOCENTIUS Divina Providentia Papa XII. suorum Praedecessorum vestigiis inhaerendo, normam, & ordinem rebus gerendis dante volens 1 in crastinum suae 2 Assumptionis ad summum Apostolatus apicem, 3 videlicet, die tertia decima mensis Julii anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo primo

Refer-

Reservationes, Constitutiones, & Regulas infra-scriptas 4 fecit, quas etiam 5. ex tunc, 6 licet nondum publicatas, 7 Et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Petrus S. Laurentii in Damaso Cardinalis Othobonus S. R. E. Vice Cancellarius die vigesima prima ejusdem mensis in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

1. In crastinum, id est die sequenti, Alphons. in proœm.

2. Assumptionis, id est, electionis, tunc enim statim administrat. DD. in c. Licet de Elect.

3. Videlicet, refertur ad in crastinum, quia electus est die 12. Julii, adeoque die decimotertio has Regulas edidit.

4. Fecit, quia licet plerasque Prædecessores quoque præscripserint, cum tamen expirent cum morte decedentium, de novo fieri ab electis censentur.

5. Ex tunc, id est statim à dicta die 13. Julii, qua factæ sunt.

6. Licet nondum publicatas. Hæc non reperiuntur in Regulis Innocentii VIII, & Pauli V. Chokier, hic ponuntur ad tollendam controversiam DD. an hæ Regulæ incipiant ligare à die electionis, an vero publicationis.

7. Et suo tempore duraturas, verbum duraturas non est in Regulis Innocentii VII, licet fuerit in Prædecessorum ejus Chokier. Cum vero suo tempore tantum duraturæ sint, morte Papæ extinguuntur hæ Regulæ, ideoque tunc poterunt
Episcopi

Episcopi ad jus commune redeuntes conferre Beneficia, usque dum novus Pontifex novas fecerit Regulas, nisi ea alia ratione v. g. per concordam Germaniæ affecta sint Papæ.

REGULA I.

I. Reservationes generales,
2 & speciales.

3 In primis fecit easdem Reservationes, que in Constitutione fel. recor. Benedicti PP. XII. que incipit, Ad regimen, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiam si Officiales in eadem Constitutione expressè Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse deserint, quoad Beneficia, que tempor. quo Officiales erant, obtinebant. Declarant nihilominus Beneficia. que dictæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, & quandocumque affecti fuerint sub hujusmodi Reservationibus comprehend. Ac reservavit Beneficia, que per Constitutionem piæ mem. Joannis PP. XII. que incipit, Execrabilis, vacant, vel vacare contigerint. Quam Constitutionem, & Reservationem S. S. tam ad Beneficia obtenta, quam alia quecumque de quibus Ordinarii, & alii Collatares contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt, & disponent in futurum extendit, & ampliavit.

& ea etiam Beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra eosdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, &c.

1. Reservatio est Beneficii alicujus Ecclesiastici vocaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio. *Simonet. de Reserv. q. 1.*

2. Est duplex *generalis*, qua reservantur plura Beneficia ejusdem generis, & *specialis*, qua reservantur certa Beneficia ratione loci, Beneficii, vel personæ. *Azor. p. 2. l. 6. c. 36. q. 3.*

3. *In primis*. Hæc prima Regula aucta est per Sixtum V. quem deinde secuti sunt Successores in duobus. Primò, quod ultra Reservationes Benedicti XII. & Joannis XXII. Regula ampliata sit ibi: *Declarans nihilominus* &c. usque ad illa verba: *Ac servavit*, ad tollendum dubium, circa quod in utramque partem decisum fuerat diversis temporibus in Rota. *Garc. de Benef. 5. part. c. 1. n. 200.* Secundo quod adjecta sit appendix: *Quam Constitutionem* &c. ut præter dictas Reservationes, etiam hæc in appendice contenta induceretur ob non servatam Constitutionem Pii V. datam 16. Maji 1566, quæ conformis est Concilio Trid. *Sess. 24. c. 18. Chokier.*

REGULA II.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatum, vacaturorum Beneficiorum.

2. Item

Item reservavit 1 generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, 2 Primatiles, Archi-Episcopales, Episcopales, nec non 3 omnia Monasteria Virorum, valorem annuū 4. ducentorum florenorum auri & communi aestimatione excedentia, nunquam quomodocumque vacantia, & impostum vacatura 6. Et voluit, quod excessus huiusmodi in literis exprimatur 7. Ac etiam reservavit Dignitates, & Beneficia omnia ad Collationem, presentationem, electionem, & quancumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum Archi-Episcoporum, & Episcoporum necnon Abbatum, ac aliorum quoruncumque Collatorum, & Collatricum secularium, & regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius presentationem, vel electionem pertinentia) que post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, 8. usque ad provisionem Successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitates Apostolica auctoritate faciendam, & acceptam ab eisdem Successoribus pacificam illorum possessionem quomodocumque vacaverint, & vacabunt in futurum. Decernens irritum, &

Prima pars Regulæ non habet locum in Germania & Gallia propter Concordata cum S. Sede in Germania servat

servatis tamen modificationibus in iis comprehensis. Sed neque secunda pars Germanos ligare videtur, cum Collatores Beneficia ad se spectantia, quæ Sede vacante contigerit vacare, liberè conferant.

1. *Generaliter*, in Regula Innocentii VIII. est *specialiter*. Cum ergo nunc reservatio sit generalis, debet nunc in expeditione literarum expressa fieri mentio de ea juxta Reg. 56. infra ponendam.

2. *Præmatiales*, hæc vox non habetur in Regula Innocentii VIII, sed addita est à Successoribus majoris claritatis & dubii tollendi gratia.

3. *Omnia Monasteria Virorum*, puta solita commendari, & Consistorialia dicuntur.

4. *Ducentorum florenorum auri*, secundum taxam Camera Apostolicæ sunt 150. Ducati, seu 300. Daleri Imperiales, quia in Camera Apostolica computantur quatuor floreni auri pro tribus Ducatis.

5. *Communi æstimatione* ideo tametsi Monasterium taxetur in Camera 200 Ducatis, communi vero æstimatione valeat solum centum, non censetur reservatum, nisi aliud obstat. *arg. l. de pretiis ff. de public.*

6. *Et voluit, quod excessus hujusmodi in literis exprimatur.* Reposita hæc sunt in locum clausulæ: *Quotiescunque illis uti voluerit,* quæ fuit in Regula Innocentii VIII, ut averteretur dubium, quod oriri poterat, an in Regula de valore comprehenderentur etiam Monasteria.

7. *Ac etiam reservavit &c. usque ad finem,* addita est hæc reservatio à Pio V. quam deinde

Succeffores ejus ad hæc usque tempora suis quoque Regulis inseruerunt.

8. *Usque ad provisionem &c.* hoc est quousque literæ confirmationis, institutionis, aut provisionis Apostolicæ sint expeditæ & præsentatæ Capitulo vel Conventui. *Gonzalez ad Reg. 8. Cam. glossa 51. n. 52.*

REGULA III.

Extensio reservationis Beneficiorum per affectuionem pacificam vacaturorum.

Item, si qui de Beneficiis Ecclesiasticis præsertim curam animarum habentibus, seu alias personalem Residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant 1. Apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum affectuionem alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis sue resignarent, seu dimitterent, voluit decrevit, & declaravit, quod si impsterum quibusvis personis de aliquibus Beneficiis Ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem suam, aut ejus auctoritate providerent ipsos

ipsosque providendos intra vacationis,
 & provisionis, seu asssecutionis eorun-
 dem Beneficiorum tempora, quacum-
 que alia cum illis incompatibilia Bene-
 ficia Ecclesiastica secularia, vel quo-
 rumvis ordinum, ac etiam Hospita-
 lium, Regularia per eos tunc obtenta
 nulla speciali, & expressa de eisdem in
 provisionibus praedictis facta mentione,
 simpliciter, vel causa permutationis, ac
 alias quomodolibet, sive in Sanctitatis
 suae, vel alterius Romani Pontificis pro
 tempore existentis, aut Legatorum,
 vel Nunciorum dictae Sedis, sive Or-
 dinariorum, vel aliorum Collatorum
 quorumcumque manibus resignare, seu
 dimittere, aut juribus sibi in illis, vel
 ad illa competentibus cedere contige-
 rit, omnes, & singula concessionem,
 collationes, provisiones, & quaevis aliae
 dispositiones de Beneficiis, seu juribus
 sic resignandis, dimittendis, & ceden-
 dis pro tempore faciendae cum inde se-
 quentis quibuscumque cassa, & irritae
 nulliusque roboris, vel momenti exi-
 stant, nec cuiquam suffragentur, sed

Bb 2

Bene-

Beneficia, & jura, ut præfertur resignata, dimissa, & cessa eo ipso vacant, ac sub reservatione prædicta, quam Sanctitas sua, etiam quoad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censentur. Ita quod de illis per alium, quam per eandem Sanctitatem suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, & per omnia perinde, ac si per pacificam assentionem Beneficiorum aliorum hujusmodi verè, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit Beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate Apostolica provisus, ac per cujus assentionem Beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscumque iuribus competentibus alteri parti, ad cuius favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summarie, simpliciter, & appellatione remota exercendis. Decernens irritum & c. attentari.

I. Apostolica auctoritate provisi. Regula ergo intelligenda est de assuetudine incompatibilis, quæ contingit auctoritate Apostolica, ut tunc non possit fieri resignatio primi coram Ordinario in fraudem reservationis, sed hoc simpliciter dimitti debet, & est reservatum. *Garz. p. 11. c. 5. n. 58.* Sed si secundi assuetudo fiat auctoritate Ordinarii, secundum ordinem juris, ex verbis Regulæ videtur fieri posse pura resignatio primi coram eodem. *Rosa de execut. lit. l. 1. c. 5. n. 89.* quia hæc permittitur à Pio V. in Constit. *Quanta.* Et dispositio hujus Regulæ non est extendenda ad alium casum, cum sit odiosa. Nihilominus tamen contrarium expresse decisum habetur in Rota *per Rub. collectarum, & in dec. 241.* quæ fuit in *Regien. Presbyteratus 28. Maji 1657.* Apud Rosam l. c. n. 90.

REGULA IV.

Reservatio Dignitatum, nec non suorum, & S. R. E. Cardinalium familiarium, Beneficiorum.

Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes 1 Dignitates majores post Pontificales, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, & 2 Patriarchalibus, nec non valorem 3. decem florenorum auri communi aestimatione excedentes 4 principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam 5 Prioratus, 6 Præposituras, Præpositatus,

tatus, ac alias Dignitates Conventuales, &
 7 Præceptorias generales Ordinum quorumcumque
 que (sed non militarium,) ac quæcumque Beneficia,
 quæ sui, 8 etiam dum Cardinalatus præsumebatur
 honore existentes, ac S. R. E. Vicarium nunc,
 & qui erunt pro tempore Cardinalium familiares
 10 continui commensales obvenient, & imposterum
 obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus,
 seu ad quæ eis competit, aut competierit, etiam si
 familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem
 vel alias recesserint. 11 Declarans Dignitates,
 quæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales
 non majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis
 Indulgentia, vel ordinata auctoritate, aut consuetudine
 præscripta, vel alias quovis modo in quibuscumque
 Collegiatis Ecclesiis principalem præminentiam habere
 noscuntur sub reservatione prædicta comprehendendi
 debere. Decernens irritum, &c.

I. Dignitates majores. Tales dicit esse Martinus
 ad hanc Reg. q. 3. quæ sunt electivæ, habentque
 administrationem bonorum temporalium, & prærogativam
 in stallis Chori, & loco, ac voce Capitulari. Respicienda
 tamen est consuetudo, & omnino hac in re standum est.
Glos. in c. De liberatione de Offic. Leg. in 6.

An autem, si una tantum sit Dignitas post Pontificalem,
 aut una solum principalis in Collegiata, ea etiam sic
 reservetur, contrahitur.

gat Gonzalez *ad Reg. 8. Cardinalis Const. 30. n.*

7. Geminianus *Conf. 36.* & Mandosius hic q. 5. quia Papa non præsumitur voluisse privare Collatores uno suo lumine, nec majoritas proprie est, ubi una tantum est Dignitas. Affirmat validè Simonetta *de Reserv. Benef. q. 85. n. 5. & seqq.*

2. *Patriarchalibus.* Hæc dictio non fuit in Regula Innocentii VIII, addita vero est à Successoribus ad tollendum dubium, an major Dignitas post Patriarchalem per hanc Regulam reservetur.

3. *Decem florenorum auri,* qui constituunt secundum taxam Camerae septem Ducatos, & paulo amplius.

4. *Principales in Collegiatis,* in quibus eliguntur Præpositi ex Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, horum utique dignitates sunt reservatæ, sic decisum esse in Rota, ait Glossator.

5. *Prioratus,* nimirum Conventuales, ut patet ex subjecta clausula: *Ac alias dignitates conventuales.* Est enim Prioratus dignitas. *Abb. in c. Nisi essent de Presb. & in c. Cum terra de elect.*

6. *Præposituras* scilicet Regulares, subnectitur enim: *Ac alias dignitates conventuales;* Congregatio vero Religiosorum Conventus dicitur, secularium Capitulum. *Abb. in c. Nisi essent de Presb. & in c. Cum terra de elect.* Si tamen Præposituræ perpetuæ sint. *Mandos q. 10. n. 8. & seq.* In hac ergo reservatione comprehenduntur Monasteria Fratrum, quæ non reguntur per Abbates, quæ enim per hos reguntur comprehenduntur in Regula 2.

7. *Præ-*

7. *Præceptorias*, nempe Religiosorum, quæ dantur in Titulum seu administrationem perpetuam; Nam militares, ut sunt Ordines S. Jacobi de Spata, de Alcantara, de Calatrava, S. Joannis Hierosolymitani, S. MARIE Teutonicorum, aliæque similes eorum, qui militant pro fide Catholica hic excipiuntur. *Paris. cons. 36. l. 1. n. 14. & seqq.*

8. *Etiã dum Cardinalatus fungebatur beneve existentes.* Hæc verba non habentur in Regulis Innocentii VIII; Postmodum vero appolita sunt ad tollendum dubium, an istorum etiã familiarium Beneficia hic reserventur, quia isti non sunt familiares Papæ, ut supponitur, nec ampliùs etiã Cardinalis, cum hic elevatus sit ad Papatum, & desierit esse Cardinalis; Sunt ergo horum Beneficia reservata, quia Beneficia semel affecta, mutantur semper affecta, pro ut declaravit Paulus V. *Const. ad Romani Pontificis.*

9. *Quæ sui,* Familiares Papæ sunt omnes Referendarii omnesque Officiales, qui panes habent ex Palatio Apostolico (nisi eos accipiant tanquam amici, aut consanguinei, vel ex elemosyna aliave de causa non ut familiares) Protonotarii Subdiaconi, Auditores Rotæ, Acolyti, Scutiferi, Secretarii, Literarum Apostolicarum Scriptores, Cubicularii, Conclavistæ ex *Const. Sixti V. ac milites S. Petri, & reliqui Officiales Rom. Pontifici deservientes.* Non tamen Cardinales, quia licet hi vel maxime videantur esse familiares Papæ, id tamen in favorabilibus tantum est, non in odiosis; Neque etiã sunt continui Commensales Papæ, & licet essent, eos tamen non comprehendit Constitutio, nisi de eis expressa fiat mentio. *c. Ne aliqui de privil. in 6,*

10. *Continui Commensales*. Non ergo reservantur Beneficia Curialium, qui habent certam portionem à Cardinali, ut solum comitatum honestent, nec ad alia servitia familiarium adhibentur. Manent vero continui Commensales, licet absentes sint in negotiis Dominorum suorum animo tamen redeundi. *c. fin. de verb. sign. in 6.* Imo tales habentur, licet in propria causa absint, suisque expensis vivant, dummodo non ultra quinquennium, quia eo casu præsumeretur animi mutatio. *Simonet. de Reserv. q. 35. n. 15.*

11. *Declarans dignitates &c.* Hæc Julius III, aliique ejus Successores addiderunt; Perquam appendicem reservantur dignitates etiam minores in Cathedralibus & Metropolitanis, si in Collegiatis Ecclesiis principalem habuerint præeminentiam, v. g. Præposituram. Verum hæc reservatio sublata est in Germania per Concordata.

REGULA V.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

Item reservavit generaliter omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica 1 quorumcumque Collectorum, 2 & unicorum in quacumque Civitate, vel Diœcesi, qui suo tempore 3 Officia exercuerint, Subcollectorum fructuum, & 4 proventuum Camerae Apostolicæ debitorum, & licet illa videlicet Beneficia dumtaxat, quæ 5 durante eorum Officio obtinebant & in quibus, seu ad quæ jus eis competeat. Decernens irritum, &c.

1. Quo-

1. *Quorumcumque Collectorum*, ideoque si sint plures Collectores, simul in una Dicecesi vel Civitate, eorum omnium Beneficia sunt reservata.

2. *Et unicum*, copulativa *Et* non reperitur in Regula Innocentii VIII, hic vero apponitur declarandum *Unicum*, referri ad *Subcollectorum*, quorum unicus tantum debet esse in quolibet civitate vel Dicecesi; Si tamen uno remoto succedat alter, utriusque Beneficia sunt reservata. *Glossator hic.*

3. *Officia exercuerint*, nisi impedimento aliquo detenti fuerint. *Gonzalez ad Reg. 8. gloss. 51. n. 71.*

4. *Proventuum Camerae Apostolicae debitorum*. Quid si imponatur Subsidiium contra Turcas, an illius Collectorum & Subcollectorum Beneficia hic quoque reservantur? Negat Alphonsus Sotus hic in gloss. quia isti proventus non sunt debiti Camerae Apostolicae. Affirmat Mandosius q. 6. n. 3. quia Subsidiium hoc imponitur super fructibus Beneficiorum, estque onus spectans ad Cameraam Apostolicam.

5. *Durante eorum Officio*. Non itaque reservata sunt Beneficia, quae defuncto Officio obtinuerunt.

REGULA VI.

Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

Item reservavit omnia, & singula Beneficia

ficis Ecclesiastica quorumcumque 1 *Curialium*, quos dum 2 *Curia Romana de loco ad locum* 3 *transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quo vis loco, quantumcumque etiam à dicta Curia remoto. Decernens irritum, &c.*

1. *Curialium* Etiam Cardinalium, quia vocabulum *quorumcumque* est universale, ideoque & Cardinales comprehendit. *Glossator hic. Oldra. Conf. 211. n. 6.* Etiam Beneficia illa, quæ ante Cardinalatum adepti sunt hic reservantur, quia qualitas Beneficii cum persona mutatur. Comprehenduntur quoque sub hac Regula familiares Cardinalium, qui verè familiares, & in contubernio sunt Cardinalium, non qui officii & honoris tantum causa illos sequuntur. *Chokier hic*

2. *Curia.* Curiam alii dicunt esse, ubi Papa est, ut Glossator; Alii verius ubi sunt Cancellaria & Tribunalia Curie Romanæ. *Sarenen. in Reg. de verisimili quest.*

3. *Transfertur.* Curia dicitur transferri, cum Papa defertur cum Cancellaria & Tribunalibus. Hinc concludit Garzias *de Benef. p. 5. c. 5. §. 7.* reservata non fuisse per hanc Regulam Beneficia sequentium Clementem VIII. Ferrariam, & ultra duas diætas decedentium.

REGULA VII.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suæ omnia Beneficia Cubiculariorum,
I etiam

1. etiam honoris nuncupatorum, ac 2. Cursorum suorum, declarans in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatorum etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque, &c. attentari Decernens.

Hæc Regula extensior hic datur, quam fuerit Regula VI. Innocentii VIII.

1. *Etiam honoris nuncupatorum.* Horum Beneficia non comprehendi sub hac Regula existimantur ante hæc complures, inter quos Chokier in Comment. Reg. VI. Innocentii; Sed contrarium declarat Pontifex in hac Regula, simulque Antecessores suos eosdem in Regulis & Constitutionibus comprehendisse.

2. *Cursorum suorum.* Papæ Cursores sunt propriè, qui Banchum habent in Urbe, suntque Clerici, & in habitu Clericali incedunt, atque de his loquitur Regula. *Mandos. hic quæst. 2. n. 5.* non de Apparitoribus, qui in Judiciis mandata Officialium exequuntur; Nec de Sollicitatoribus Literarum Apostolicarum, quos Jannizeros, aut Janixarios appellant.

REGULA VIII.

Reservatio Beneficiorum Eccle-
 siarum S. Joannis Lateranen. &
 S. Petri, ac Beatæ Mariæ Majoris
 de Urbe, & Beneficiorum titulo-
 rum Cardinalium à Curia
 absentium.

Item reservavit dispositioni suæ generaliter
 quoscunque Canonicatus, & Præbendas, ac
 Dignitates, Personatus, & Officia in 2 S. Joan.
 Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac Bea-
 ta Mariæ Majoris de urbe 3 Ecclesiis, nec non
 ad collationem, provisionem, & præsentatio-
 nem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E.
 Cardinalium à Romana Curia 4 absentium ratio-
 ne suorum Episcopatum Cardinalatus, ac ipso-
 rum Cardinalium titularum, & Diaconiarum
 spectantis, quamdiu absentia hujusmodi dura-
 verit, Canonicatus, & Præbendas, Dignita-
 tes, Personatus, Administrationes, & Offi-
 cia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura,
 & sine cura vacantia, ac in Ecclesiis Civitati-
 bus, ac Diœcesibus dictorum Episcopatum
 consistentia, ac decrevit irritum &c.

I. Quæritur hic, cur Pontifex reservet sibi
 Beneficia trium illarum Ecclesiarum, cum Bene-
 ficia in Urbe existentia conferat Papa jure ordina-
 tio tanquam Episcopus Romanus. *e. Si quis Epi-
 scopus*

scopus quest. 16. c. Multum 3. quest. 6. Exceptis iis, quæ subsunt Titulis Cardinalium in Urbe præsentium. *Gomes ad Reg. de trienn. q. 31. n. 17.* Respondetur, quia dubitari potuit, an jus Collectionis Beneficiorum in Ecclesiis illis vacantium non pertineat ad Archi-Presbyteros & Decanos earundem Ecclesiarum, qui sunt Cardinales.

2. *In S. Joan. Lateranensis.* In Innocentii Regula præponitur Basilica Principis Apostolorum; Sed cum Lateranensis Ecclesia supremum locum teneat super omnes Ecclesias Urbis & Orbis *Gregor. XI. Const. 1. Pius V. Const. 94.* & Romanorum Pontificum sit Patriarchium. *Sixti V. Const. 19.* atque etiam antiquissima sit ædificata à Constantino Imp. *Greg. XI. Const. 1.* jure hæc præponenda fuit.

3. *Ecclesiis.* In Reg. Innocentii dicitur: *Basilica;* Ne vero ex eo quispiam deducat, Ecclesiam S. Petri nondum esse consecratam, cum Basilica propriè vocetur ante Consecrationem *Glos. notabilis in c. 1. de relig. dom.* ideo in præsentì Regula vocatur Ecclesia.

Sed cur Beneficia in Ecclesiis S. Pauli & S. Laurentii extra muros, quæ etiam censentur primariæ, & quasi Cathedrales, non reservantur? Respondet Glossator, quia sunt Ecclesiæ Monachorum, & non secularium.

4. *Absentium* à Romana Curia, vel suis Titulis, vel Episcopatibus, nimirum Cardinalatibus annexis, ideo non comprehenduntur hac Regula Beneficia vacantia in aliis Diocesisibus, ubi per accidens Cardinales electi, vel constituti sunt Episcopi. *Chokier bic.*

REGULA IX.

Reservatio mensium Apostolicorum, & Alternativa pro Episcopis Residentibus.

Item cupiens SS. D. PP. 2 pauperibus Clericis, & aliis 3 benemeritis personis providere, omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis ordinum regularia qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad sua voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam alias, quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, presentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque Collatorum, & Collatricum secularium & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & observare debuerant acceptatis, & observatis, quae ledere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suae generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quae de dictis Beneficiis tunc vacantibus,

bas,

bus, etiam Motu proprio fient, de mense, in quo vacaverint 13; dispositivè 14 mentionem fieri; Alioquin gratias nullas esse. 15 Ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, pinguires Præbendas necnon privilegia, etiam in nomine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi Beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, & latissimè extendi voluit, quibusvis personis, & Collegiis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa adversus Reservationem hujusmodi minime infringari. Insuper Sanctitas sua ad gratificandam Patriarchis, Archi-Episcopis, & Episcopis interta ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut Dioceses suas 16 verè, & personaliter resederint duntaxat de omnibus, & quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura secularibus, & regularibus (ad liberam ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum eadem dispositionem, seu presentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quæ 17 in antea in mensibus

Febru

Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris,
 & Decembris extra Curiam ipsam vacare con-
 tingerit (dummodo alias dispositioni Apostolicae
 18 reservata, vel affecta non fuerint) liberè
 disponendi facultatem 19 tempore sui Pontifica-
 tus tantum duraturam concessit. Ac etiam vo-
 luit, ut si ipsi in collatione Beneficiorum in aliis
 sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maii,
 Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum
 (quae etiam dispositioni suae, ut praefertur, re-
 servavit,) seu etiam aliorum, dispositioni suae,
 & dictae sedis alias quomodolibet reservatorum,
 vel affectorum se se intromiserint, aut quo mi-
 nus provisiones, & gratiae Sanctitatis suae de
 illis debitum effectum consequantur, impedimen-
 tum quoquomodo praestiterint, usu, & Benefi-
 cio praedictae facultatis, eo ipso privati existant,
 ac collationes, & aliae dispositiones de Beneficiis il-
 lius praetextu deinceps faciendae nullius sint ro-
 boris, vel momenti. Illi verò qui gratiam al-
 ternativè praedictae acceptare voluerint, ac-
 ceptionem hujusmodi per 20 patentes literas ma-
 nu propria subscriptas, suoque sigillo munitas,
 & 21 in sua quisque Civitate, vel Diocesi da-
 tas declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium
 Sanctitatis suae transmittere teneantur, quibus
 ab eo receptis, & recognitis, 22 ac in libro ad
 id deputato registratis, tunc demum, & non
 antea uti incipiant gratia supradicta, 23 Insu-

per declaravit, quod si idem Episcopus pluribus Ecclesiis quomodocunque unitis ex Apostolica concessione, & dispensatione quomodocunque præsit, teneatur hujusmodi alternativa gratia quatenus ea potiri velit, utriusque Ecclesie nomine explicitè acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, & admissionem in Dataria neutri parti liceat nisi concordati consensu ab ea recedere. Declarans præterea exceptionem positam in Regula favore S. R. E. Cardinalium, & indultum conferendi Beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, & consortii juxta declarationem fel. recor. Urbani PP. VIII. Prædecessoris sui editam die decima Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto quam Sanctitas Sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus quoscunque &c. judicari debere, ac irritum &c.

1. Pars prior hujus Regulæ, cujus auctor est Clemens VIII, non habet locum in Germania, cum per Concordata concedantur Ordinariis Collatoribus sex menses; Sed neque pars posterior, cum in mensibus non Papalibus collatio Canonatum Cathedralis Ecclesiæ vel ex consuetudine, vel ex privilegio vel alio titulo passim in Germania pertineat ad Capitula, non ad Episcopos, licet in Ecclesiis suis resideant.

2. *Pauperibus Clericis.* Hæc prima fuit causa impulsiva, cur Pontifices Beneficia illa referant, ut Clericis pauperibus providere possent

prout consonum est juri communi. *c. Ecclesiasticis 12. q. 2. c. Secundum Apostolum de Præbendis.*

3. *Benemeritis.* Hæc fuit secunda causa, ut Benemeritis Beneficia conferri possint, quibus ea propriè debentur. *c. Grave 29. de Præb. & c. Ex parte de Constit. c. Nihil est. c. Causam quæ de Elect.*

4. *Beneficia,* non ergo Altaria, Oratoria & Capellanæ sine auctoritate Superioris fundatæ per hanc Regulam reservantur. Nec Præbendæ temporales, ut sunt prædia quæ dantur tanquam Salaria Advocato, Procuratori, aliisque similibus Ministris. *Gonzalez in Glos. 5. n. 25.* Nec manualia, & ad nutum amovibilia. *Gomes de expect. 2. 94.* Nec Hospitalia *Mandos ad Reg. 1. Canc. 9. 9. n. 2.* Nec Pensio reservata super Beneficio. *Gigas de Pens. 9. 1. n. 5.* Nec Præstimoniam, quæ non dantur in Titulum perpetuum. Nec Beneficia de mensa, nimirum illa, quæ perpetuo incorporata sunt mensæ Episcopali, aut Capitulari, aut Abbatiali, cum ea nunquam vacent. *Glos. V. de mensa in Clem. 1. de Suppl. neg. Præl.* Nec commendæ, sive eæ temporales sint, sive ad vitam commendatarii. *Gomes in Reg. de Triennali 9. 5.* Nec Coadjutoria, sive eæ simplices sive cum futura Successione. *Greg. Tholos. in inst. rei Benef. 6. 11. n. 2.* Neque demum Officia Ecclesiastica, quæ in titulum non dantur, ut est Officium Custodis, Cantoris &c. *Mandos. ad Reg. 21. 9. 7. & ad Reg. 32. 9. 2.*

5. *Qualificata* exceptis iis, quæ sunt Jurispatronatus Laicalis vel mixti ex majori, vel æquali parte Laicorum, idque ex fundatione, constructione, dotatione vel donatione. *Mandos. ad Reg. I. Cancell. q. 8. n. 6. & seqq.* An autem Jus Patronatus Ecclesiasticum certis personis debitum sub hac Regula comprehenditur? Negat *Garcia de Benef. p. 5. c. 1. §. 11. n. 562.* quo ad Hispanos duntaxat, seu Castellanos. Sed affirmativa sententia jam sæpius per Rotam recepta est. *Chokier hic Glos. 1.*

6. *Cum cura* Beneficia curata per hanc Regulam reservata conferri quoque debent per concursum *Trid. Sess. 24. de Reform. c. 18. & Pius V. Const. In conferendis,* quamvis in multis casibus solet ea conferre Pontifex sine concursu. *Gonzal. Glos. 6. n. 115. & seq.*

7. *Regularia.* Non tamen Prioratus Religionum S. Augustini & S. Dominici & similes, quia non sunt perpetui, nec Fratres Mendicantes habere possunt Beneficia Ecclesiastica. *Alphons. ad Reg. 8. Cancell.* An autem comprehendantur hæc Regula Beneficia Regularia Ordinum militarium? *Vide de Gonzalez in Glos. 8. n. 52. & seqq.*

8. *Qualitercunque qualificata,* ideoque etiam monocula. *Chokier hic Glos. 4.* Non comprehenduntur vero sub hac reservatione Canonici Doctores & Magistrales, qui conferendi sunt per concursum alicui Doctori vel Licentiatum Juris aut Theologiæ. *Gonz. Glos. 9. §. 2. n. 63.* Neque Beneficia Ecclesiæ non numeratæ. An autem Beneficia noviter erecta post Datam reservationis

tionis hic comprehendantur, dubitatur, probabilius tamen est contineri, quia Regula est generalis, quæ semper loquitur & reservat. *l. Arriani C. de hæret. Mandos, in Reg. 3. Cancel. n. 21.*

8. *Usque ad suæ voluntatis beneplacitum.* ideo morte Pontificis expirat reservatio; Secus si facta esset ad dispositionem Sedis Apostolicæ, quia hæc nunquam deficit. *c. Si gratiose §. de rescrip. in 6.*

10. *Præsentationem.* Ergo per hanc Regulam tollitur etiam Jus Patronatus ex fundatione, seu dotatione, nimirum Ecclesiasticum, non Laicum vel mixtum. *Crescent. decis. 3. de Jure patrono.* Id vero teste *Gracia de Benef. p. 5. c. 1. §. 11. n. 557.* non obtinet in Hispania, ubi Beneficia Juris Patronatus etiam Ecclesiasticis ad præsentationem Patronorum conferuntur in quocunque mense vacaverint; Quo titulo & jure, viderint Hispani.

11. *S. R. E. Cardinalium,* nempe Episcoporum in suis Diocæsiibus Residentium, non Legatorum de latere in suis Legationibus & Provinciis, ubi collationem tantum extraordinariam habent. *Cresc. decis. 217. de præb.*

12. *Generaliter reservavit.* Hinc Indultum Regis Scotiae ad conferendum Beneficia vacatura exceptis generaliter reservatis non extenditur ad Beneficia vacantia in mensibus Pontificiis, quia hæc per hanc Regulam generaliter reservata sunt. Beneficia vero, quorum collatores sunt Reges Galliarum & Hispaniarum aliique nonnulli Principes ut tradit Bœt. Epo *de Reg. n. 14. & seqq.* non comprehenduntur sub hac Regula, cum eorum non

fiat expressa mentio, uti fieri debet. *c. fin. de offic. deleg. c. Ne reliqui de privil. in 6.*

13. *Dispositivè*; Non sufficit ergo, si ratio fiat dubitivè de mense per particulam *forfan*, vel etiam generaliter vacationem numerum esse in mensibus reservatis. *Garz. de Benef. p. 5. c. I. n. 656.*

14. *Mentionem fieri*; Non tenetur autem Previsus à Papa de Beneficio vacante in mense Ordinarii mentionem facere in Supplicatione de mensibus. *Garz. de Benef. p. 5. c. I. glos. II. n. 657.*

15. *Ac consuetudines etiam immemorabiles optandi majores*, quæ invaluerant in quibusdam Ecclesiis, ideo hæ, uti & indulta, & privilegia Apostolica optandi pinguiores præbendas, per hanc Regulam excluduntur; Ita tamen, ut errante Regula hac per obitum Papæ, talia privilegia & consuetudines reviviscant. *Simonet. de Benef. serv. q. 58. n. 13. & 14.*

16. *Verè & personaliter*, sic à tempore Sixti V. nam antea habebatur solummodo: *Quamvis resederint*, vel *personaliter resederint*; Ut ergo alternativa frui possit Episcopus, requiritur numerum vera, personalis & actualis ejus residentia, nec sufficit, ut ante, fictitia, quæ est cum Episcopus præsta de causa abest, quia tunc præsens esse censetur. *c. Ex parte. c. Ad audientiam de Cler. non res. c. Unico eod. in 6.*

17. *In antea*, id est, in futurum, in perpetuum, in posterum. *c. Ego N. de jurejurandi. c. Cum Clerici Placentani 19. de verb. sign. 18. Et*

18. *Reservata vel affecta*. Reservatio fit per verba expressa à Papa voce, vel in constitutione dicendo: *Reservamus*: Affectio fit per actum realem, ut cum Papa apponit manum super dispositione alicujus Beneficii, ex quo tacita oritur reservatio. *Simonet. de Reserv. Benef. q. 69.*

19. *Tempore sui Pontificatus tantum*. Hæc non habentur in Reg. Clem. VIII. & Pauli V. hic ponuntur, ut expresse significet Pontifex alternativam cum morte sua expirare.

20. *Patentes literas*; Sunt illæ, quæ non clauduntur sigillo, claufura, seu ligatura tali, ut sine læsione illius aperiri aut legi possint. *l. Hac consultiſſima C. de Testam.*

21. *In sua quisq; Civitate vel Diœcesi datas*; Est contra jus commune, vi cuius Episcopus potest extra suam Diœcesin voluntariam jurisdictionem exercere & Beneficia conferre. *c. Post electionem de conces. præb. c. Qua fronte de appell.*

22. *Ac in libro ad id deputato registratis*, quæ non habentur in Reg. Clementis VIII, & Pauli V. hic autem inferuntur, ut sicuti cæteræ gratiæ tum demum in Cancellaria perfectæ dicuntur, cum registris inscriptæ sunt Supplicationes, ita & hac gratia nemo uti potest, priusquam literæ illæ patentes de acceptione alternativæ registratæ sint, adeoque particula *Tunc* denotat tempus, quo literæ illæ registris inscriptæ sunt, ut ex eo Episcopus acceptans incipiat uti alternativa.

23. *Insuper declaravit &c.* quæ sequuntur in hac Regula usque ad *Decernens sic* desunt in Reg. Clem. VIII. & Pauli V.

RE-

REGULA X.

De literis in forma rationi congruit expediendis.

I Item voluit idem D. N. Papa quod 2 concessa per fel. rec. Alexandrum Octavum Prædecessorem suum, & de ejus mandato expediantur in forma Rationi congruit &c. 3 sub die Coronationis sue, ut moris est, & idem quoad concessa per pia mem. Innocentium Undecimum etiam Prædecessorem suum ad sex menses duntaxat, ab ipso die Coronationis incipiendas observari voluit.

I. Item voluit. Regula hæc Innocentii XII, & quorundam ejus Prædecessorum latius patet, quam Innocentii VIII, per cujus Regulam conceditur tantum facultas expediendi gratias Pontificis immediatè defuncti, per hanc autem Innocentii XII. Pont. sit extensio ad unum alium Prædecessorem, nimirum Innocentium XI, ita tamen, ut hujus mediati Prædecessoris gratiæ expediri debeant intra sex menses à die Coronationis computandos, ut dicitur in Regula, ad quos non astringuntur gratiæ Prædecessoris immediati. *Mandos, ad hanc Reg. q 4.*

2. Concessa; Si vero literæ jam sint plumbata locum non habet hæc Regula, quia Bullæ non mittuntur

tuntur in Cancellaria ad plumbum, nisi sint plenè & totaliter expeditæ, in hujusmodi autem nullam habet partem Pontifex Successor. Regulariter vero locum habet hæc Regula, cum Supplicatio fuerit signata, quia gratiæ signatæ solum aptæ sunt, super quibus expeditur Bullæ; Contrarium tamen docet Mandosius q. 11. n. 2, & Corrad. in prax. disp. l. 2. c. 8. n. 14.

3. Sub die Coronationis suæ; Non ergo apponenda est Data in literis, sub qua gratia facta fuit.

REGULA XI.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, & Beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

Item declaravit omnium, & singularium Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi, & dispositioni eorum, necnon omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quæ quidem Ecclesia, Monasteria, necnon sic reservata Beneficia tempore, obitus eorundem Prædecesso-

decesso-

decessorum vacabant, aut Ecclesia ipsa
vel Monasteria hujusmodi, si com-
mendata. vel eis Administratores de-
putati non fuissent, etiam tunc vacas-
sent) remansisse, & remanere per h-
jusmodi reservationem, & Decretum
affecta, nullumque de illis præter Ro-
manum Pontificem ea vice se intromit-
tere, vel disponere potuisse siue posse
quoquo modo, Decernens irritum, &
inane, si secus super illis attentatum
forsan erat tunc, vel in posterum con-
tingeret attentari.

Hæc Regula conformis est Regulis Prædece-
ssorum Pontificum, nisi quod Innocentius VIII.
declaret Ecclesias & Beneficia reservata solum à
Sixto, & non collata ante obitum ejus remanere
affecta & reservata. Innocentius XII. vero, & re-
liqui ejus Antecessores declararunt Ecclesias & Be-
neficia ab omnibus Prædecessoribus reservata &
affecta manere talia, & hanc dicit tritissimam Re-
gulam in Rota Geminianus. *Con/.* 93. n. 26.

REGULA XII.

Revalidatio Literarum Prædece-
ssoris Gratia, & Justitiæ infra an-
num Concessarum.

Item prædictus D. N. omnes, & sin-
gula

gulas ab Alexandro VIII. Romano Pontifice Prædecessore suo infra annum ante diem ejus obitus concessas Gratia vel Justitiæ literas 2 temporibus debitis earum executoribus, seu Judicibus non præsentatas omnino revalidavit, & in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtenta, quoad hoc plenariè restituit, ac decrevit per executores, seu Judices prædictos, vel ab eis Subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, & debere juxta illarum formam.

1. Hæc Regula revalidatoria diversa est à Regula: *Rationi congruit*, quæ supponit solum supplicationem esse signatam non vero literas expeditas, hæc vero revalidatoria supponit Literas expeditas esse, & plumbatas, sed tempore Papæ defuncti, qui illas concesserat, nondum ab Executoribus exequi cœptas, ideoque Pontifex Successor revalidat jurisdictionem Executorum, quæ Sede vacante siluit. *Clem. Ne Romani de elect.* non vero novæ Literæ conceduntur.

2. *Temporibus debitis*: Tempus hoc unius est anni, infra quem Literæ præsentari debent Executoribus. *De Rosa de Exec. lit. p. I. c. 4. n. 34.* Si autem iteretur negligentia tempore Papæ concedendis, revalidatoria difficilior Orationibus indulgetur.

RE.

REGULA XIII.

Revocatio Unionum.

Item rationabilibus suadentibus causis ipse
 D. N. omnes uniones, annexiones, incorpora-
 tiones, 1 suppressiones, extinctiones, applica-
 tiones, & dismembrationes, 2 etiam perpetuas,
 de quibusvis Cathedralibus, necnon aliis Ecclesiis,
 Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis,
 & Beneficiis Ecclesiasticis, 3 eorumvè domibus,
 prædiis, & locis per cessum, vel decessum, aut
 aliam quamvis dimissionem, vel amissionem, quavis
 cumque fuerint in vicum, vel aliis Ecclesiis, Mona-
 steriis, & Mensis etiam Capitularibus, Dignitati-
 bus, Personatibus, Officiis, Beneficiis, 4 ac Pæis, &
 aliis locis. 5 Universitatibus etiam studiorum
 generalium, & Collegiis, etiam in favorem
 S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesiis, Monaste-
 riis, & Beneficiis per eos obtentis quomodolibet
 Apostolica, vel alia quavis (6 non tamen Con-
 cilio Tridentini auctoritate, necnon pro funda-
 tione, seu dotatione, augmento, vel conser-
 vatione Collegiorum, & aliorum Piorum, &
 Religiosorum locorum ad fidei Catholicae defensor-
 nem, & propagationem, bonarumque artium
 cultum institutorum) factas, quæ suum non
 sunt sortitæ effectum: Ac quæcumque con-
 cessiones, & mandata super unionibus, annexio-
 nibus, incorporationibus, & aliis præmissis
 taliter

taliter faciendis, revocavit, cassavit, & irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adjectiones, 7 aut decreta, quæ Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis etiam quæ Motu proprio, aut ex certa scientia, 8 & consistorialiter processerunt, & emanarunt literis, 9 etiamsi in eis decretum esset illas extunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore quomodolibet contenta adversus revocationem, & irritationem hujusmodi voluit aliquatenus suffragari. Decernens irritum &c.

1. Suppressiones, extinctiones, applicationes & dismembrationes; Hæ particulae non habentur in Reg. Innocentii VIII. Additæ sunt à Julio III. ad tollendas difficultates & dubia, an sub voce unionis, omnes unionis species comprehendantur.

2. Etiam perpetuas. Nec hoc habetur in Regula Innocentii VIII.

3. Eorumvè domibus, prædiis, & locis percessam vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem vel amissionem. Innocentius VIII. solum dicit: *Et locis Ecclesiasticis.*

4. Ac piis & aliis locis. In Regula ejusdem Innocentii est tantummodo: *Et aliis locis.*

4. universitatis etiam studiorum generalium in Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium seu Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis per eos obtentis. Innocentius VII. hæc in robore

fuo permanere voluit, ideoque non inseruit illi
Regulae suae.

6. *Non tamen Concilii Tridentini &c.* Quae
hic parenthesi includuntur desunt in Regula Inno-
centii VIII, habentur tamen in Regula Pauli V.

7. *Aut decreta, quae Sanctitas sua pro es-
pressis h.beri voluit.* Nec hoc habet Inno-
centius VIII.

8. *Et consistorialiter.* Neque istud est in Reg.
Innocentii VIII.

9. *Etiam si in eis decretum esset istas ex tunc
effectum sortitas esse, aut jus quaesitum fore.*
Desunt quoque in Regula Innocentii VIII.

REGULA XIV.

Reservatio facultatum quibus- vis concessarum.

Item revocavit quascumque facultates con-
cessas quibusvis Patriarchis, Archi-Episcopis,
Episcopis, & aliis Praelatis, & Personis, nec-
non Apostolicae Sedis Nunciis, ac fructuaria,
& proventuum Camerae Apostolicae debitorum
Collectoribus, de dispensando cum quibusvis
personis super Matrimonio contracto, vel con-
trahendo in gradu prohibito, ac natalium, &
aetatis defectibus, & de incompatilibus Bene-
ficiis Ecclesiasticis in simul retinendis, necnon
de Notariis publicis creandis, & ac de disponenda
quomodolibet de quibusvis Beneficiis Ecclesiasti-
cis, &

*cis, & alijs à præmissis officia ipsorum Nuncio-
rum, & Collectorum directè non concernentes,
2 etiamsi in literis desuper confectis sint clau-
sula restitutoria, & derogatarum deroga-
toria, & alia efficaciores, 3 quas pro expressis
haberi voluit quoad omnia, in quibus faculta-
tes ipse non sunt sortitæ effectum, etiamsi
Nuncijs eisdem, dictæ Sedis Legatis de Latere
competens sit concessa potestas. Decernens irri-
tum &c.*

*1. At de disponendo quomodolibet de quibus-
vis Beneficijs Ecclesiasticis. His ampliarunt Re-
gulam Innocentii VIII. Julius III. Paulus IV. Gre-
gorius XIII. cæterique ad hæc usque tempora Pon-
tifices.*

*2. Etiamsi in literis desuper confectis sint
clausula restitutoria, & derogatarum deroga-
toria, & alia efficaciores. His pariter am-
pliata est Regula Innocentii VIII. à Successori-
bus illius.*

*3. Quas pro expressis haberi voluit, quo
ad omnia. Hæc quoque non habentur in Reg. In-
nocentii VIII.*

REGULA XV.

Revocatio facultatum conferendi
Beneficia reservata.

*Item revocavit quascumque facul-
tates, & literas desuper confectas, per
quas*

quas quicumque sui Prædecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, & quavis etiam Patriarchali, 2 Episcopali, vel alia dignitate, vel alio non tamen Cardinalatus honore fulgentibus quavis consideratione, vel intuitu etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine 3 cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis concesserant, ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis, seu Monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de Beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim spectantibus disponere libere, & licite valerent, aut etiam ad id eosdem Prædecessores Vicarii perpetui

vel ad tempus constituti forent; Decernens irritum, & inane &c.

1. Item revocavit. Post Innocentium VIII. inducta est hæc Regula à Pontificibus.

2. Episcopali, non habetur in Regula Pauli V.

3. Cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis. Nec hæc habentur in Regula Pauli V.

REGULA XVI.

De dictionibus numerabilibus.

Item ut in Apostolicis literis committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio voluit, & ordinavit, quod dictiones numerales, que in dictis literis ante Nonas, Idus, & Kalendas, immediatè poni consueverunt, per literas, & syllabas 1 extensè describantur & illæ ex prædictis literis, in quibus huiusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullarium nullatenus mittantur.

1. Extensè describantur, non per notas numerorum sive zifras v. g. non scribitur VI. Calendas

D d

lendas

lendas, sed sexto Calendas, idem est de Nonis & Idibus, ad evitandas fraudes & falsitatem. Literæ autem aliter scriptæ habentur subreptitiæ.

REGULA XVII.

De Concurrentibus in Data.

Item voluit quod de concurrentibus in data ejusdem diei, super vacantibus seu certo modo vacaturis Beneficiis, illi, quibus gratia, Mortu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, aliàs 1 graduati non graduatis, aut inter graduatos 2 magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, nec non colorato titulo possessores, non possessoribus, ac inter personas aliàs in Curia præsentibus, absentibus ab ea, ac inter præsentibus non Beneficiatis Beneficiatis, & similiter inter absentibus, cæteris paribus oriundus non oriundo, & 4 Diocesanus non Diocesano: In reliquis vero singuli, qui prius Apostolicas desuper literas eorum executoribus præsentaverint, aliis in ipsorum de quibus agi contigerit, Beneficiorum executione præferantur.

1. *Graduati* quamcunque habeant scientiam, quia gaudent privilegiis Doctorum. Mandos. ad Reg. 16. q. 13.

2. *Magis graduati*; Quod sint 1. gradu superiore, sic Doctor Licentiato præferendus. 2. *Existentes in eodem gradu præferantur graduati in majori*

seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi Motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

1. *Seu mandatis & declarationibus.* Addidit hæc Paulus III.

2. *Aut gratiam vel literas Apostolicas pro commissionibus seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio, & ex certa Scientia, ac etiam ante motam litem.* Sic ampliavit Regulam Paulus III, quem sequuntur ejus Successores, ne nimirum jus alteri quæsitum per quamcunque Papæ concessionem, & quodcunque illud sit jus non solum in re, sed etiam ad rem, tolleretur. Nontamen locum habet Regula ante registrationem supplicationis signatæ, quia ante eam impetrans non acquirit jus considerabile, cum possit non solum à Papa, sed etiam ejus Officialibus lacerari. *De Rosa de Execut. lit. l. 1. c. 1. n. 64.*

REGULA XIX.

Regula de Viginti.

Item voluit, quod si quis 1 in infirmitate constitutus resignaverit, 2 sive in Romana Curia. sive extra illam, aliquod Beneficium, sive simpliciter, sive

ex causa permutationis, 3 vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ & postea infra viginti dies 4 à die per ipsum resignantem prestandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium, 5 quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

In infirmitate constitutus, sive gravi, sive levi; Imo etiam si non sit infirmus, sed post consentum præstitum moriatur infra 20. dies, locus erit Regulæ propter annexam appendicem à Clemente VII, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, quam etiam annexere suis Regulis consueverunt ad hæc usque tempora Pontifices.

2. Sive in Romana Curia, sive extra illam, Defunt in Regula Innocentii VIII.

3. Vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore Supplicationis, dum esset sanus, signatæ. His ampliorem fecerunt Regulam Innocentii VIII. Hadrianus VI. Clemens VII. Julius II. cæterique subinde Pontifices.

D d 3

4. A

2. A die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos. Addiderunt posteri Pontifices ad Regulam Innocentii VIII. Non sufficit vero consensus per Constitutionem Procuratorum, sed requiritur consensus præstitus, ubi fit resignatio, scilicet in Camera vel Cancellaria.

5. Quavis auctoritate, nec hoc est in Regula Innocentii VIII.

6. Ex ipsa infirmitate decesserit. Non ergo locum habet Regula in morte civili resignantis, si v. g. uxorem ducat vel professionem faciat. Neque etiam si accusatus resignet metu sententiæ privativæ. *Rebuff. in addit. ad banc Reg.* Secus si renuncians moriatur in carceribus intra 20. dies.

REGULA XX.

De Idiomate.

Item voluit quod si contingat tam in Curia, quam extra, alicui personæ de Parochiali Ecclesia, & vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochiarum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi Ecclesia, vel Beneficium huiusmodi consistit, provisio, seu mandatum, & gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel Beneficium huiusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum &c.

1. *Tam in Curia quam extra.* Addita à posterioribus Pontificibus.

2. *Vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente.*

Addita hæc sunt per Gregorium XIII, & Successores ejus ad hæc usque tempora, ut includantur Succursus, qui non sunt curata Beneficia, sed simplicia. Rebuff. in addit. ad Reg. Cancell. 55.

3. *Nullius sint roboris vel momenti,* nisi Papa expressè dispenset. Rebuff. in addit. ad hanc Reg. vel ex certa scientia & motu proprio conferat Parochialem non intelligenti idioma. Alphons. hic & Mandos. q. 5. & 6.

REGULA XXI.

De non impetrando Beneficium pro obitum viventis.

Item si quis 1 supplicaverit sibi de Beneficio quocumque tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & postea per obitum ejus vacet, provisio, 2 & quævis dispositio 3 etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.

1. Sup-

1. *Supplicaverit.* Non ergo locum habet hæc Regula, si provisio facta sit *motu proprio de plenitudine potestatis*, quia ex hac clausula contra de intentione Papæ etiam cum alterius præjudicio & per eam tolluntur ea, quæ sunt juris positivi. *Chokier hic.* Obtinet vero vigorem suum Regula, si collatio Beneficii viventis facta sit cum clausula solius motus proprii, quia hæc non tollit ambitionem, & votum captandæ mortis nec operatur in his, quæ sunt facti, & de quibus Princeps non est informatus. *Mandos. q. 2. n. 1.*

2. *Et quævis dispositio*, addidit hæc Julius III. & Successores ejus, quibus comprehenditur omnis modus ordinandi de Beneficiis. *c. Licet Ecclesiarum de Præb. in 6.*

3. *Etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ.* Hæc quoque adjecta sunt ab Innocentio XII, quibus inhabilitatur talis Supplicans ad tale Beneficium retinendum, & impetrandum, ne nimirum detur materia captandi mortem alterius. *c. 1. & 2. de Conces. præb. & c. 2. & 4. in 6.* Nisi impetrans putasset ex justa & probabili causa vacasse Beneficium, eo casu licet collatio Beneficii viventis nulla sit, non tamen fit inhabilis ad illud impetrandum pro alia vice, cum verè vacaverit.

REGULA XXII.

De unionibus, & unionum confirmatione.

Item voluit quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri teneantur i exprimere verum annuum

annuum valorem secundum communem estimationem, tam Beneficii uniendi, quàm illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat. & semper in unionibus 2 commissio fiat ad partes, 3 vocatis quorum interest: Et idem voluit observari 4 in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus, & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum huiusmodi.

1. *Exprimere verum annum valorem secundum communem estimationem.* Particula annuum non reperitur in Regula Innocentii VIII. & Pauli V. hic additur, ut constet clarius de valore Beneficiorum; Valor vero exprimitur communi estimatione, si dicatur, quantum deductis oneribus tempore provisionis, & per quinque annos ante valuerit. *Gomes. ad Reg. de valore quest. ult.*

2. *Commissio fiat ad partes,* hoc est in loco, in quo Beneficia quæ uniri petuntur, sita sunt, melius enim veritas habetur per vicinos, quam alios. *Rebuff. ad hanc Reg. gloss. 10.*

3. *Vocatis quorum interest,* illis nimirum, quibus competit jus conferendi, vel presentandi Beneficia unienda. *Rebuff. hic gloss. II.* Non vero vocandus est possessor Beneficii illiusque consensus postulandus. *Card. Serap. decis. 1459. num.*

13. Clausula hæc: *Vocatis* non requiritur, si commissio fiat per Papam in forma gratiosa, quia sic derogatur huic Regula. *Rebuff. hic glos. 10.*

4. In quibusvis Suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in Confirmationibus unionum, singulorumque dispositionum huiusmodi. His auctiorem fecit Regulam Clemens VIII, quem secuti sunt reliqui Pontifices, ut omnia unionis species sub hac Regula comprehenderent. Dismembrationes ad fructus referuntur, cum corpus Beneficii non dismembretur. Mandos. ad Reg. de Revocat. unio q. 2. n. 6.

REGULA XXIII.

De Mendicantibus transferendis.

Item de 1 Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transferint pro tempore, voluit 2 Constitutionem fel. record. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, que incipit Viam ambitiosæ cupiditatis &c. firmiter observari.

1. Mendicantibus, nimirum Religiosis professis.

2. Constitutionem, quæ habetur in Extrav. Comm. Tit. de Regular. & trans. ad relig.

REGULA XXIV.

De male promotis.

Item de Clericis extra tempora à jure statuta, sive ante aetatem legitimam, aut absque Dimissoriis literis ad Sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piæ mem. Pii Secundi similiter Prædecessoris sui desuper editam, & in d. Cancellaria Apostolica libro descriptam, quæ incipit. Cum ex Sacrorum Ordinum &c. pari modo observari.

1. Hæc non est inter Regulas Innocentii VIII, observatur autem in Cancellaria à tempore Pii II.

2. *Constitutionem piæ mem. Pii II.* qua suspenduntur Beneficiati seu Clerici taliter promoti, qui si in Ordinibus ministraverint, irregularitatem Papæ reservatam incurrunt, & Beneficiis Ecclesiasticis per sententiam Judicis privantur. Et quamvis Sixtus V. *Const. Sanctum & salutare* voluerit hanc privationis pœnam ipso jure incurri eam tamen Clemens VIII ad terminos Juris communis, Concilii Trid. ac dictæ Constitutionis Pii II. reduxit.

RE-

REGULA XXV.

De Moneta.

Item declaravit idem Dominus Noster, quod 1 libra Turonensium parvorum, & 2 florenus auri de Camera pro equali valore in concernentibus literas, & Camera Apostolicam computari, & aestimari debeant.

1. *Libra Turonensium parvorum, quis sit valor illius diximus supra cap. II. §. 5.*
2. *Florenus auri de Camera, & hujus valorem eodem cap. & §. expressimus.*

REGULA XXVI.

De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

Item predictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quod quaecunque concessiones, gratie, & mandata etiam 2 motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, que ab eo pro quibusvis personis emanaverint de provideudo eis de quibusvis Beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque, ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regi-

gimina, si hujusmodi concessionibus, & mandata
diem promotionis promovendorum ipsorum præ-
cesserint, necnon quæcunque collationes, pro-
visiones, & 3 dispositiones pro tempore fa-
cienda de præmissis, & quibusvis aliis Bene-
ficiis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus,
quæ per promovendos, vel assumendos ad quas-
cunque Prælaturas, inter illarum vacationis,
& hujusmodi promotionis, vel assumptionis
tempora simpliciter, vel ex causa permutatio-
nis ubicumque resignari, vel alias dimitti con-
tigerit cum inde sequutis pro tempore sint cassæ,
& irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

1. Hæc Regula astringit etiam Germanos, con-
tinetur enim re ipsa in *Extrav. Ad regimen*,
prout inserta est *Concordatis*.

2. *Motu proprio*, & cum derogatione hujus
Constitutionis. Est contra dispositionem juris
communis, quia quomodocunque & per quæcun-
que verba daret privilegia Papa, majorem tamen
retineret potestatem penes se ad ea revocanda.
c. Dudum & c. Quamvis de præb. in 6.

3. *Dispositiones*, non habetur in Regula Inno-
centii VIII. & Pauli V.

REGULA XXVII.

De non judicando juxta formam
supplicationum, sed literarum
expeditarum.

Item cum ante confectionem literarum gra-
tis

tis

tia Apostolica sit informis, voluit, statuit, &
 ordinavit idem Dominus Noster, quod Judicia
 in Romana Curia, 2 & extra eam pro temporibus
 existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, ca-
 sarum Palatii Apostolici Auditores, vel qu-
 cunque alii non juxta supplicationum signati-
 rum super quibusvis impetrationibus (3 nisi in
 dicta Curia duntaxat sint commissiones justiti-
 tiam concernentes per Placet, S. R. E. Vice-
 Cancellarium juxta facultatem super hoc sibi
 concessam signatæ) sed juxta literarum super
 eisdem impetrationibus, & concessionibus con-
 fectarum tenores, & formas judicare debeant.
 Decernens irritum &c. Et si literæ ipsæ per
 præoccupationem, vel alias minus bene expre-
 ditæ reperiantur ad illorum quorum interest in-
 stantiam, ad apostolicam Cancellariam remitti
 poterunt per ejus Officiales, quibus hujus-
 modi tenores, & formas restringere convenit,
 ad formas debitas reducendæ.

I. Item cum ante confectionem literarum
 gratia Apostolica sit informis. Hæc addidit Adria-
 nus VI, quem cæteri deinde Pontifices secuti sunt.
 Dicitur vero gratia informis sine literis, quia per
 literas formam accipit, & sine illis est quasi homo
 in utero matris conclusus, donec per expeditio-
 nem literarum in publicum edatur. Hæc tamen
 forma non est essentialis, sed solum probatoria
 Paris. de resig. l. 8. q. 2. n. II. quia Executor
 non nisi Bullis expeditis gratiam exequi potest.
 Certe

Cæterum de jure communi non requiritur ad essentiam gratiæ Bullarum expeditio. *Mascard. de Probat. Concl. 846. n. 41.* Nam, ut inquit Baldus, *in lingua Principis stat gratia, in scriptura testimonium.*

2. *Et extra eam*, adjecit Julius III, & subsequentes Pontifices, cum ante dubitatum fuerit ab aliquibus teste Alphonso hic, an Regula loqueretur solum de Judicibus in Curia Romana.

3. *Nisi in dicta Curia duntaxat sint commissoes*, addita per Julium III. Propriè Supplicatio continet meram gratiam, commissio justitiam, *Alphonsus.*

REGULA XXVIII.

De Regulis Cancellariæ producendis.

I Item attendens D. N. Papa quod super habendis de Cancellaria Apostolica Regulis, & Constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret quòd super earundem Regularum, Constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium causarum, & negotiorum aliquoties im-

mu-

mutari convenit) probando tenore, vel effectu
 testium plerumque tenacem desuper memoriam
 non habentium depositionibus stari debet, vo-
 luit, statuit, & ordinavit, quod deinceps qui-
 libet ex Auditoribus causarum Palatii Aposto-
 lici, & aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales
 in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate
 apostolica iudicibus, etiam in causis actu pen-
 dentibus super huiusmodi tenore, vel effectu
 probando duntaxat stet, fidemque adhibeat ce-
 dulæ, seu scripturæ desuper 2. à duobus Majoris
 Præsidentia, quod danda sit à tergo signatæ
 & etiam à duobus aliis literarum Apostolicarum
 Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatis
 & Vice-Cancellariis, seu dictam Cancellariam
 Regentis manu subscriptæ, ut moris est, quod
 quid autem secus fieri contigerit nullius sit robu-
 ris, vel momenti.

1. De origine & auctoritate harum Regularum
 actum est supra cap. II.

2. A duobus majoris Præsidentia, qui Ab-
 breviatores de Parco majori dicuntur, quemadmo-
 dum alii Abbreviatores de Parco minori, idque ut
 existimat Alphonsus, ἀπὸ τῆς Parcus, vel Par-
 cum, quod est temperamentum, nimirum iudicii,
 ne excedant limites supplicationum, & Regu-
 larum.

REGULA XXIX.

De Subrogandis Collitigantibus.

Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis Beneficio Ecclesiastico collitigantem in Jure, vel ad jus, si quod forsitan ejus adversario in dicto Beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo predictus collitigans in dicto Beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium postquam illud per triennium pacifice possederit lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de premissis Jure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, 2 vel concessionem etiam Motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi facta nullius sint roboris, vel momenti. 3 Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium Be-

Ee

nefi-

neficia illorum praesertim, quibus, aut
 propter senium, aut propter infirmita-
 tem immineret vita periculum impe-
 trant, ut illis decedentibus tanquam
 Collitigantes in eorum Juribus facilius
 subrogentur; Voluit, ut deinceps nul-
 lus in Jure, vel ad Jus in Beneficio de-
 functi, quod illo vivente in casibus
 praemissis, vel similibus impetraverit
 aliquo modo subrogetur, ac subrogatio,
 vel gratia, Si neutri, Si nulli, seu No-
 va provisionis, aut Perindevalere, ta-
 liter impetranti nullatenus suffragetur,
 quod etiam strictissimè observari man-
 davit in impetrationibus Beneficiorum
 per privationem, & amotionem ex qui-
 busvis criminibus, & excessibus for-
 san perpetratis, etiamsi, usque ad dif-
 finitivam sententiam, qua tamen in
 rem non transiverit judicatam, pro-
 cessum foret.

I. Surrogatio est, qua quis vel quidpiam in lo-
 cum alterius sufficitur l. Proponebatur ff. de Judiciis
 ut cum Judex in locum alterius substituitur. Ideoque
 rescriptum Pontificium surrogationis est, quo Pon-
 tifex mandat aliquem in locum alterius de Benefi-
 cio litigantis substitui, vel ipse illum substituit, ut
 idem

idem jus habeat, quod prior. *c. 1. Ut lite pendente in 6.* Hoc autem fit, cum vel unus ex litigantibus vita decessit, vel matrimonium, aut statum Religiosum inuit, vel ob crimen privatus est, aut sponte cessit.

2. *Vel concessiones etiam motu proprio.* Addidit Leo X. & sequentes Pontifices ad tollendam difficultatem, quæ oriri poterat in his concessionibus, & videbantur exclusæ à Regula propter vocabulum *impetrationes*.

3. *Et nihilominus cupiens, &c.* ad finem usque addidit Adrianus VI. & cæteri deinde Pontifices, quo dolis & fraudibus magis obviarent.

REGULA XXX.

De verifimili notitia.

Item voluit, & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura secularibus, vel regularibus I per obitum quarumcunque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluerit, quod interim vacationes ipsæ de locis in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem S. D. N. 2 verifimiliter potuerint pervenisse.

1. *Per obitum*, qui probatur per testes, & ex fide Parochi. *Ferin. dec. 496. n. 2. & 4. par. 2.*

in Novis. Extendenda vero non est Regula ad alium quam mortis casum. *Mandos. hic q. 7.*

2. *Verisimiliter,* quod summi potest pro credibili, *arg. l. 3. in 2. & 3. resp. ff. Si pars her. p.* & relinquatur arbitrio Auditorum, vel cujuscuque Judicii judicantis. *Alphons. & Mandos. hic quest. 4. n. 6.*

REGULA XXXI.

Non valeant Commissiones Causarum nisi Literis expeditis.

Item quod omnes, & singula Commissiones causarum, quas 1 in antea fieri contigerit, obtenta, vel concessionum duntaxat Apostolicarum, de Beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus litera Apostolica 2 confecta non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.

1. *In antea,* id est, in posterum.

2. *Confecta non fuerint.* Sed quid si confecta fuerint litera, sed non producta? Negat Mandosius *hic quest. 8.* eo casu obstare Regulam.

REGULA XXXII.

De impetrantibus Beneficia per
obitum familiarium Cardi-
nalianum.

Item voluit, quod impetrans Beneficium
vacans 1 per obitum 2 familiaris alicujus Car-
dinalis, teneatur exprimere 4 nomen, & ti-
tulum ipsius Cardinalis, 5 si ille in Curia fue-
rit, ipsius ad id accedat assensus, alias de super-
grati a sit nulla, & idem servari voluit, 6 si
Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes,
& ubilibet etiam in locis infra duas Dietas vi-
cinis degentes, familiamque, & lares in eadem
Curia retinentes ab ipsa Curia recesserint ad
eandem illico reversuri, & infra decem, vel
ad summum quindecim dies verè, & persona-
liter reversi fuerint. Ita quod Cardinalibus
alias quàm, ut præfertur 7 ex quacunque cau-
sa quantumlibet necessario exprimenda absenti-
bus facultas præstandi consensum hujusmodi,
non competat, sed Beneficia hujusmodi ad libe-
ram Sanctitatis Suae, & Sedis Apostolicæ pro-
visionem, & dispositionem pertineant. De-
clarans Regulas, & Constitutiones suorum Præ-
decessorum, etiam à die earum editionis, &
publicationis super assensu hujusmodi præstando
sic intellectas, & intelligendas fuisse. Irri-
tum-

tumque &c. attentari decernens. Quodque prædicti familiares eorundem Cardinalium familiares esse deserint; seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transferint quoad beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, & in quibus, vel ad quæ priori familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales quorum prius familiares fuerint suum habeant adhibere consensum. 8 Declarans presentem Constitutionem locum non habere in illis Beneficiis, quæ familiares ipsi, tempore obitus eorum in dicta Curia, vel extra eam obtinerent aut antea obtinuissent, & ratione Officiorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuissent apparent. Necnon illos quoad effectum dictæ Constitutionis familiares eorundem Cardinalium considerari, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum, fuisse probarentur. Decernent irritum &c.

1. Per obitum, non ergo locum habet Regula in alia vacatione, ut per resignationem, nisi resignans infra 20. dies moriatur. Mandos. hic q. 6. n. 2. & seqq. assecutionem incompatibilis, professionem Religiosam, matrimonium, quia mors civilis in hoc casu non æquiparatur naturali. Rebuff. in Addit. ad hanc Reg.

2. *Familiaris*. Familiares Cardinalium sunt.

1. Qui continuum apud eos victum habent, & habitationem. 2. Qui obsonia etiam extra domum accipiunt, simulque in obsequiis sunt Cardinalium per quator continuos menses, ut infra declaratur; Nam si solum ex eleemosyna habeant victum familiares non fiunt.

3. *Cardinalis*. Ergo Regula non est intelligenda de familiaribus Papæ, qui ad eum ex servitiis Cardinalium transferunt, quia persona Papæ loquentis intelligitur excepta. *c. pen. & c. Venientes de jurejur.* Neque de familiaribus Papæ transeuntibus ad familiaritatem Cardinalis, quia si & hos comprehendere voluisset Papa, expressisset. *arg. c. Ad audientiam de decim.* etiamsi mortuus esset Papa quia Beneficia illorum sunt affecta Pontifici juxta Constitutionem Pauli V. & lumen majus obfusat minus.

4. *Nomen*, ad hoc nimirum ut sciat Pontifex, quis sit Cardinalis, adeoque si nesciam nomen proprium Cardinalis, sufficet scribere mortuum esse familiarem v. g. Vice-Cancellarii Cardinalis S. Laurentii in Damaso. *Alphonsus hic.*

5. *Si ille in Curia fuerit*, refertur ad sequentia, ut tunc nimirum assensus illius accedat, qui debet esse expressus. *Paris. de resig. Benef. l. 8. q. 10.* & per scripturam probandus est, prout servatur in Cur. Rom. *Chokier hic*, non vero refertur ad priora, ideoque licet Cardinalis in Curia non fuerit, nomen tamen & Titulus illius exprimi debet in impetratione Beneficii. *Mandos. q. 21.*

6. *Si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes &c. usque irritum.* Non habentur in
Reg

Reg. Innocentii VIII. & Pauli V. His vero potius modum à Pontificibus additis decernitur Consensum quoque requiri Cardinalium etiam absentium in locis vicinis infra duas dictas, si reverti sint intra 10. aut 15. dies; Cæterorum vero aliorum absentium consensum non requiri, atque hæc mentem Prædecessorum quoque & sensum Regularum ab iisdem editarum fuisse declaratur.

7. *Ex quacunque causa quantumlibet necessaria*, ut nimirum visitet Ecclesiam suam, aut absit tanquam Legatus, etiam cum licentia Papæ.

8. *Declarans presentem* &c. usque ad finem; Neque ista reperiuntur in Reg. Innocentii VIII. & Pauli V, quibus declaratur primo sub hac Regula non comprehendi Beneficia reservata, vel affecta ratione officiorum; Deinde qui familiares Cardinalium censendi sint, quo ad effectum hujus Constitutionis.

REGULA XXXIII.

Super eadem familiaritate.

Item D. N. ad evitandas lites & contentiones, quæ præcedenti sua Constitutione exoriri possunt vestigiis Prædecessorum suorum imberendo. Voluit, statuit, & ordinavit, quod si Beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum Commensalium eorundem Cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent.

rent, in dicta præcedenti Constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium Beneficiorum super expeditione litterarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat. Sed Beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii Collatoris, ut præfertur liberè spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam Beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint; tunc in provisione talium Beneficiorum, super expeditione litterarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorundem Collatio, & dispositio, ut præfertur pertinere deberet. Ita ut Cardinalis Ordinarius Collator, in concursu cum Cardinali Patrono semper indultis concessis, & concedendis eisdem S. R. E. Cardinalibus, Decernens irritum &c.

Hæc tota Règula addita est per Julium III, & per eam limitatur præcedens in eo, quod si Collatio Beneficii familiaris Cardinalis spectet ad alium Cardinalem conferre hic libere possit Beneficium non requisito consensu Cardinalis in cujus servitio familiaris moritur, quia Cardinalis privilegiatus uti non debet privilegio adversus alium Cardinalem privilegiatum. *Rebuff. in addit. ad hanc Regul.*

RE-

REGULA XXXIV.

Signatura per Fiat præferatur al-
ri per concessum.

Item voluit idem D. N. quod concurrentibus 1 eadem die super quocumque Beneficio per Fiat, & Concessum, signaturis, ex eis per Fiat 2 etiam, ut petitur habens alteri per Concessum etiam Motu proprio habenti præferatur, 3 etiamsi in illa per Concessum prægnantiores, & quantumlibet privilegiatæ essent clausula.

1. Eadem die, si tamen habens per Concessum probaret prioritatem Signaturæ per horam præferatur *Alph. & Mandos hic q. 5. n. 3.*

2. Etiam ut petitur adjecit Julius III, & post vocabulum alteri addidit *per concessum etiam motu proprio habenti præferatur.* Solus Papa subscribit Fiat ut petitur, alii præter papam potestatem ab eo habentes: *Concessum, ut petitur.*

3. Etiamsi in illa per Concessum prægnantiores, & quantumlibet privilegiatæ essent clausula, Hæc adjecit Gregorius XIII, quem sequentes Pontifices secuti sunt.

REGULA XXXV.

De Annali Possessore.

Item S. D. N. ut improbi lites exquire-
 tium motus reprimantur, voluit, statuit, &
 ordinavit, quod quicumque 1 Beneficium Eccle-
 siasticum tunc per annum immediatè præceden-
 tem 2 pacificè possessum, & quod certo modo
 vacare 3 prætenditur, deinceps impetraverit no-
 men, 4 gradum & nobilitatem possessoris ejus-
 dem, & quotannis ipse illud possederit, ac spe-
 cificam, & determinatam, ex qua clarè pote-
 rit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto
 Beneficio Jus competat, causam in hujusmo-
 di impetratione exprimere, & 5 infra sex men-
 ses ipsum possessorem ad iudicium evocari face-
 re, causamque extunc desuper 6 infra annum
 7 usque ad sententiam diffinitivam inclusivè
 profèqui debeat, & teneatur. Alioquin impe-
 tratio prædicta, & quæcunque inde sequuta
 nullius existant firmitatis. Et idem impetrans
 de damnis, & interesse possessorem prædictum
 propterea contingentibus ei satisfacere, & si pos-
 sessorem ipsum injustè, frivole, & indebitè mo-
 lestare repertus extiterit, 8 quinquaginta flore-
 ros auri persolvere Camere apostolicæ sit ad-
 strictus, nec alius quam præmissæ vacationis
 modus etiam per literas si neutri, aut subro-
 gatio.

gationis, aut alias sibi quoad hoc, ut Beneficium huiusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illique nullatenus in antea litigiosum propter censeatur. 9 Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Ecclesiastica cujuscunque qualitatis per privationem, & amotionem, vel alias propter commissa excessus, & crimina vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes Beneficia tanquam vacantia per devolutionem,

1. *Beneficium Ecclesiasticum.* Hac appellatione veniunt quoque ad effectum hujus Regule Officia & Dignitates Ecclesiasticæ, quæ administrationem habent sine jurisdictione, ut *Theauraria* *Glos. Clem. Auditor de Rescript. v. Beneficio.* *Rebuff. de pacif. posses. n. 71.* Etiam præstimonnia, si data sint in titulum perpetuum. *Mandos. de q. 12. & Hospitalia. Idem q. 10.* Et Vicariæ perpetuæ. *Id. q. 13.* Beneficia commendata. *Gomes. q. 26.* Beneficia Jurispatronatus. *Mohedan decu. s. de Jur. patr.* Capellanæ datæ in titulum. *Gomes. q. 20.* De pensionibus impositis super fructibus Beneficii per annum pacificè possessi asserit id quoque *Gomesius q. 21.* sed negat *Mandosius q. 9.* Imperatio Beneficii reservati nulla est tacita annali alterius detentione. *Mand. q. 23.* Beneficia vero Consistorialia hac Regula non comprehenduntur.

2. *Pacificè possessum,* de qua nulla nec juris, nec

nec facti judicialis vel extra judicialis facta est controversia. *Tusch. to. 6. Pract. Concl. num. 1.*

3. *Prætitur.* Reg. Innocentii VIII, & Pauli V. habet: *prætendit*, vel ut hic Alphonsus *prætendet*, quod cum etiam ad tempus futurum referri possit, clarius ponitur: *prætenditur*.

4. *Gradum & nobilitatem*, si id constet, si enim per famam haberetur non esse graduatum, licet clandestinè promotus sit in Doctorem impetrans sine culpa erit, si id non expresserit. Hodie tamen non exprimitur gradus, nobilitas aut tempus in quacunque impetratione Beneficii, ideoque quo ad hoc derogatum est huic Regulæ.

5. *Infra sex menses* à tempore datæ impetrationis, & non à tempore expeditionis Bullarum. *Alph. hic Gomes. q. 67.*

6. *Infra annum* à tempore citationis executæ. *Chokier.*

7. *Usque ad sententiam diffinitivam*, quantum in ipso fuerit, si enim per eam non steterit, quo minus intra annum sententia pronunciata non fuerit, culpabilis non erit. *Ganzal. ad Reg. 8. gloss. 12.*

8. *Quinquaginta florenos auri persolvere.* Hanc pœnam in usu non esse tradit *Gomes. hic. q. 40.*

9. *Quod etiam &c.* usque ad finem inseruerunt Regulis suis Pontifices ex Constit. Julii III, ut majus fienum injiciatur iis, qui ausu temerario & ambitiose satagunt Beneficia annuorum possessionem impetrare.

RE-

REGULA XXXVI.

De Triennali.

Item statuit, & ordinavit idem D. N. quod 1 si quis quacunque Beneficia Ecclesiastica 2 qualiacunque sint 3 absque Simoniaci ingressu, ex quovis titulo Apostolica, vel Ordinaria collatione, aut electione, 4 electionis huiusmodi confirmatione, seu presentatione, & institutione illorum, ad quos Beneficiorum huiusmodi collatio, provisio, electio, & presentatio, seu quavis alia dispositio pertinet, 5 per triennium 6 pacifice 7 possederit, (dummodo in Beneficiis huiusmodi, si dispositioni Apostolica ex reservatione generali in corpore Juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem Beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de Beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

1. *Si quis*, nimirum habilis, cum enim jura loquuntur de personis, intelligunt habiles & idoneas.
l. ut gradatim ff. de muner. & honor.

2. *Qualiacunque* ideo & Officia Ecclesiastica, *Gomes. hic. q. 6.* & Hospitalia si dentur in titulum *Rebuff. in prax. tit. de devol. n. 72.* etiam Beneficia Jurispatronatus *Gomes. hic. q. 9.* & Commendæ *Mobedon. de caus. poss. & prop.* Non vero unita, si unio sit perpetua. *Gom. q. 8.* nam vacare non possunt, cum sint extincta; Nec incompatibilia, ideoque possessor duorum incompatibilium non defenditur per hanc Regulam, quia contra Concilii Trid. decreta non operatur hæc Regula. Nec manualia. *Mobedan decis. 169.* Nec demum impetrata ante tempus verisimilis notitiæ. *Chokier hic.*

3. *Absque Simoniaco ingressu*, si nimirum in acquisitione Beneficii nec Simoniam realem, nec conventionalem commiserit, licet post ingressum & provisionem Beneficii aliquid dederit. Non peccat etiam contra hanc Regulam simoniacus ignorans, pro quo videlicet alii, ipso penitus inscio aliquid dederunt, ut conferretur illi Beneficium.

4. *Et electionis hujusmodi confirmatione*, quia sola electio non tribuit jus in re, sed ad rem tantum, nisi forte electio facta sit ab illis, qui habent simul potestatem confirmandi.

5. *Per triennium*, nempe continuum, nam præpositio *Per* denotat omnimodam continuationem.
l. Urbana §. pernoctare ff. de verb. signifi.

6. *Pacificè*, si nimirum lis nulla sit mota judicialis vel extrajudicialis *Glos. in Clem. 1. sequest.*

quest. pos. & fruct. V. ante, ideoque si quis majorem partem fructuum non percipiat, licet in iudicio nulla lis moveatur, non censetur possidere pacifice. *Alphons. hic.*

7. *Possederit* Regula hæc defendit solum possessorem triennem in possessorio, non in petitorio siue quo ad titulum verum & proprietatem, & docet Felinus in c. Sicut de sent. & re iudicata & Gomezus q. II. Ordinarium posse triennem possessorem amovere à possessione si possideat titulo malo & vitioso.

REGULA XXXVII.

De non appellando ante Sententiam diffinitivam.

Item idem D. N. ut finis litibus celerius imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & expensis, suorum Prædecessorum Constitutionibus, & statutis inherendo, statuit, & ordinavit, quod in causis pendentibus, & quas in posterum contigerit agitari nulli ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissæ, debeat amitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitiva, vel à gravamine minimè concernente negotium

gocium principale, quod non possit per
 appellationem à diffinitiva sententia re-
 parari. Nulleque causa appellationum
 committantur, nisi in commissione ex-
 primatur, quod interlocutoria vim
 diffinitiva habeat, vel gravamen sit
 tale, quod in appellatione à diffinitiva
 non valeat reparari. Alioquin appel-
 lationes, & commissiones imposterum,
 & quicquid inde secutum fuerit, nul-
 lius sint roboris, vel momenti, com-
 missionibus appellationum jam judici-
 bus presentatis, & exhibitis in suo
 robore permansuris, in quibus latis
 super eisdem sententiis, secundo, vel
 ulterius ab eis non liceat appellare.
 Appellantes verò & appellationes
 etiam ab interlocutoriis, & gravami-
 nibus hujusmodi, suo, vel alterius no-
 mine prosequentes, si succubuerint,
 ultra expensas, & damna, ad qua re-
 scienda de jure condemnatus compul-
 litur, viginti florenorum auri pœna
 mulctetur.

I. In causis pendentibus, in Regulis Innocen-
 centii VIII. & Pauli V. additum fuit in Romana

Ff

Curia

Curia, ideoque putavit Glossator extra Curiam non habere locum regulam, sed ab aliis deinceps Pontificibus hæc omissa sunt, ut secundum civile non recipiatur appellatio, nisi post sententiam diffinitivam, & interlocutoriam, quæ diffinitivæ habeat. Quod etiam disposuit Tridentinum Sess. 24. c. 20. & sequitur Camera Imperialis teste Gailio. l. 1. Obs. 129.

REGULA XXXVIII.

Non stetur Commissioni post conclusionem.

Item statuit, & ordinavit, quod in Commissionibus de justitia, seu mandatis etiam Consistorialibus per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, imposterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicite, vel explicitè mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per commissionem hujusmodi Commissionis, & eidem conclusioni, ac presenti regulæ, derogetur expressè.

1. *Eidem conclusioni, ac presenti regulæ additum est in hac Regula, ideoque huic quoque expressè derogari debet, ut commissiones contra conclusum valeant.*

REGULA XXXIX.

De litteris Religiosorum expediendis.

Item voluit, & ordinavit, quod si aliqui Religiosi petunt aliquod Beneficium ad nutum amovibile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint, litteræ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in Signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

REGULA XL.

De Clausula ponenda in litteris permutationis Beneficiorum.

Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio ponatur clausula: Attente quoque provideas &c. Etsi ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, Quod neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

i. Duæ hic ponuntur clausulæ salutares: Prima est: Attente quoque provideas, quæ divinanda esset, nisi consulantur Abbreviatores: inquit Alphonsus, Et vero talis: Attente quoque provideas

videas, quod in renunciatione prædicta vis, metus, ac aliqua Simoniaca pravitas non intervenit. Altera clausula est: Quod neuter permutatum.

REGULA XLI.

De supplendis defectibus.

Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper in huiusmodi defectus exprimantur, vel per, Fiat, ut petitur, supplicatio signata fuerit.

I. Huiusmodi defectus, nimirum juris positivi, non naturalis, qualis est partis citatio, consensus, hos enim nunquam censetur tollere, etiam cum addit clausulam. Supplentes de plenitudine potestatis, omnes defectus, si quæ intervenierint, Gomes ad Reg. de non iudicanda quest. 16.

REGULA XLII.

De derogatione Jurispatronatus.

Item voluit, quod super quovis Beneficio Ecclesiastico de Jurepatronatus Laicorum non expediantur litteræ, nisi ponatur expressè, quod

tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè est devoluta, 1. vel quia tempus Patronis laicis ad præsentandum à Jure præfixum lapsum existat, aut ad id Patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum Jurispatronatus hujusmodi mentio, dispositivè, ac specificè, & determinatè, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficia, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

1. Vel quia tempus Patronis Laicis ad præsentandum à Jure præfixum lapsum existat. Addidit hæc verba Julius III., ut intelligatur devolvi jus ad Papam immèdiatè, non ad proximè Superiorem elapso tempore præsentationis laicis præfixo, quod est quatuor mensium à vacatione beneficii. c. Unico de Jurepat. in 6. Sex vero mensium; si Jus patronatus sit mixtum. Less. de Just. & Jur. l. 2. q. 34. n. 6.

2. Jurispatronatus hujusmodi mentio, dispositivè, ac specificè & determinatè, non autem conditionaliter fiat. Addita sunt à Clemente VIII ut magis servetur jus Patronatus Regum & Principum, quorum offensam inprimis cavere sole Ecclesia.

REGULA XLIII.

De Commendis.

Item voluit, quod nulli seculari de regulari
 nec religioso de seculari beneficiis Commenda
 detur, nisi in Signatura 2 per Clausulam
 partem super petitione Commende hujusmodi
 de Commenda ipsa mentio fiat.

1. Nec Religioso de seculari: S. Congregatio
 Concilii tamen declaravit ex necessitate obpenuria
 Sacerdorum, & cum Papæ dispensatione & ad tempus,
 quoad scilicet Episcopus prouideret de Clerico
 seculari, Regulares nonnunquam admitti
 ad Parochiales. *Garc. de benef. p. 7. c. 10. n. 20. & seq.*

2. Per clausulam ad partem. Non habetur
 in Reg. Innocentii VIII. & Pauli. V.

REGULA XLIV.

De Reformationibus.

Item voluit, statuit, & ordinavit, quod
 per quibuscunque 1 Reformationibus signatis
 super impetrationibus quorumcunque benefici-
 rum vacantium, vel certo modo vacaturorum,
 in quibus petitur, quod litteræ super prima De-
 data expediri possint, si ex hujusmodi expeditio-
 ne sub tali Data, cuiquam videatur posse fieri
 præ

præjudicium, litteræ hujusmodi sub ipsa prima
Data nullatenus expediantur, nisi Reformationes
hujusmodi per Fiat sub prima Data signatæ
fuerint.

1. Reformationibus signatis. Per reformatio-
nes hic intelliguntur correctiones, quæ petuntur
ab impetrantibus, quia errores in supplicatione
signata aut Bulla irreperunt impetranti præjudi-
cantes. Hæ vero literæ reformatæ secundum hanc
regulam expediri non debent sub prima data, si ex
tali data alteri præjudicium nascatur, nisi Ponti-
fex in Signatura reformatæ addiderit verbum
Fiat.

REGULA XLV.

De consensu in Resignationibus, & Pensionibus.

Item voluit, & ordinavit, quod super resigna-
tione 1 cu juscumque Beneficii Ecclesiastici, seu
cessione Juris in eo, quam in manibus suis,
vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, A-
postolicæ litteræ nullatenus expediantur, nisi Re-
signans, vel cedens, si præsens 2 in Romana
Curia fuerit personaliter, alioquin per Procura-
torem suam ad hoc ab eo specialiter constitutum,
expeditioni hujusmodi 3 in eadem Cancellaria
expressè consenserit, & 4 juraverit, ut ma-
ris est. 5 Et si ipsum resignantem, seu Ceden-
tem pluries super uno, & eodem beneficio in fa-
vorem

vorem

vorem diversarum personarum successive consentivo contigerit. Voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, & alii posteriores consensus, ac litterae eorum praetextu etiam prioris Data expedire pro tempore nullius in reboris, vel momenti, nec litterae reservationis, vel assignationis etiam Motu proprio cu jusvis pensionis annuae, super alienius beneficii fructibus expediri possint, & nisi de consensu illius, pensionem persolvere tunc debet.

1. Cujuscumque Beneficii, etiam dignitatis & personatus. Tusch. pract. Concl. to. 6. Concl. 99. Non tamen Episcopatus, quia in ea cessat ratio Regulae, cum nulla fraus intercedere possit; Renunciationes enim Episcopatum fiunt in Confessorio. Paris. de resign. l. 8. q. 5. n. 649. & seqq.

2. In Romana Curia, hoc est intra muros civitatis, vel certe in Suburbis, nam Curia hic intelligi non debet pro duabus dietis. Arg. cap. presenti § loca de preb. in 6.

3. In eadem Cancellaria vel Camera, quia secundum praxin & stylum Curiae Romanae praestari solet consensus in Camera vel Cancellaria. Paris. de resign. l. 8. q. 8.

4. Jura verit ut moris est, nimirum non intervenisse fraudem, dolum, vim, metum aut Simoniam.

5. Et si ipsum &c. usque vel momenti, addiderunt Pontifices post Innocentium VIII. ad tollendam omnem ansam dubitandi de praelatione diversorum Resignatariorum; Praesertim vero pri-

mus, quia inconstantia, seu variatio in resignationibus suspecta est, aut indecens.

6. *Nisi de consensu illius*, qui solvere debet pensionem, fieri enim facile potest, ut qui pensionem desiderat, affirmet illum consensisse, qui non consensit. Sufficit vero præstare consensum per Procuratorem.

REGULA XLVI.

De ingressu Religionis.

Item non dentur litteræ super Beneficiis vacaturis 1 per ingressum Religionis, 2 nisi professio præcesserit datam de super petitionis.

1. Per ingressum Religionis non inchoatum per Novitiatum, sed completum per professionem, & vota substantialia, quæ Religiosum constituat.

2. *Nisi professio* vel emissio votorum substantialium *præcesserit*, id provide statutum, ne Novitius in Religione non perseverans, sustentatione, quam ex beneficio habebat, privetur.

REGULA XLVII.

Non valet impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

Item voluit, quod si petatur aliquod bene-

beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, l. 1. impetratio non valeat, nec l. 2. de super expediantur.

1. *Impetratio non valeat, cum mentio fieri debeat ad præcavendas varias fraudes, & vacatione, & de modo vacandi, quod olim ante hanc Regulam necesse non erat, sed sufficiebat dicere generatim, tale beneficium vacare, se vero supplicare, ut Sua Sanctitas sibi illud conferat. Gemin. in c. susceptum, de rescrip. in 6. Facta enim simpliciter mentione vacationis, includebatur omnis modus vacationis. Glos. in Clem. 7. V. Quamvis de Præb. & Glos. in. e. Si propter de Rescript. in 6.*

REGULA XLVIII.

De executione facienda.

Item voluit, statuit, & ordinavit, quod quotiescumque per Signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adjunctione proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, Judex datur, litteræ desuper expediantur cum expressione, quod
idem

idem Iudex executionem faciat I per seipsum.

1. *Per seipsum*, quia videtur electa industria personæ, alias secundum jura Delegatus Principis supremi potest subdelegare. *C. Pastoralis de offic. deleg. l. fin. ff. de officio e jus, cui mand. est Jurisd. l. More majorum. ff. de Jurisd.*

REGULA XLIX.

De dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.

Voluit, quod in litteris dispensationum super aliquo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis, I aut alias prohibito, ponatur clausula, Si mulier rapta non fuerit. I Et si scienter, ponatur 3 clausula addita in quaterno.

1. *Aut alias prohibito*, quod intelligitur de publicæ honestatis justitia.

2. *Et si scienter*, hoc est juxta Rebuffum in addit. Quod si Raptor scienter contraxerit cum rapta, & petatur dispensatio à Papa, tunc apponenda est.

3. *Clausula addita in quaterno*, nimirum libro aliquo Cancellariæ, quæ est: *Quod tales separentur ad tempus, quousque ad arbitrium Commissariæ*

Commissarii congruam egerint pœnitentiam: & postea dispensetur secum.

REGULA L.

Super defectu Natalium.

Voluit, quod in dispensationibus super defectu Natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus ponatur clausula, Quod 1 non præjudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato 2 pertinere debeat.

1. Non præjudicetur illis, non solum illis, sed probabilius etiam propinquis, qui ab intestato succedere possunt.

2. Pertinere debeat. Addi nunc solet, ut refert Chokier n. 8. Hæc alia clausula: *Citra bona Emphyteutica & feudalia Ecclesiastica, quæ reverti debent ad Ecclesias.*

REGULA LI.

Super Dispensationibus.

1 Item, quod perquamcumque Signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat, 2 nisi specialiter exprimat, vel dicta gratia totaliter esse

effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut
3 operetur.

1. Item sensus Regulæ est: Si Pontifex contulit gratiam v. gr. beneficium alicui, qui non habet v. gr. requisitam ætatem, & hic idipsum in supplicatione exposuit, Pontifex vero pergat nihilominus in dispensando, censetur dispensare super atate; si autem supplicans reticuerit hoc impedimentum non censeretur per hanc Regulam dispensatum esse.

2. Nisi specialiter exprimatur, non habetur in Regula Innocentii VIII.

3. Operetur. In Regula Innocentii VIII. adduntur sequentia, quæ hic omissa sunt: *Et si super defectu ætatis sit dispensatio hujusmodi, de duobus duntaxat annis dari valeat, habita prius per testes idoneos, vel alias reformatione, quoad hoc de idoneitate personæ cui dicta dispensatio concedetur.*

REGULA LII.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.

Item, cum Concessionibus super gratiis Dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apostolicæ sint provide limitate,

tate,

zate, licet aliquando in petitionibus super huiusmodi concessionibus oblati, multa sunt petita, ne quis talium concessionum pretextu dispensative tenere, aut facere praesumat, quod concessionibus huiusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuiquam in iudicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litterae Apostolicae sint confectae.

1. In iudicio vel extra. Haec addita sunt a Pio V. & Successoribus eius ad tollendum dubium, an quis tutus sit in foro conscientiae ex signatura sola dispensationis, & declaratur hic neque in iudicio, neque extra, id est in foro externo ejusmodi dispensationem suffragari.

RÉGULA LIII.

De clausulis ponendis in litteris Indulgentiarum.

Item voluit, quod in litteris indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiae, vel Capellae, aut alias aliqua Indulgentia in fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, huiusmodi litterae sint nullae.

1. Fuerit concessa. In Reg. Innocentii VIII. & Pauli V. habetur fuerit per ipsum concessa, adeoque si tunc alius Pontifex vel Episcopus iuxta c. Cum ex eo de pœn. in remiss. dedisset indul-

gentias, quarū mentio non esset facta in ultimis literis indulgentiarū nihilominus hæ validæ fuissent, nunc autem sunt nullæ, quia indefinite dicitur: *Alias fuerit concessa.*

REGULA LIV.

De Indulgentiis concessis ad instar.

Item voluit idem D. N. quod litteræ super Indulgentiis non expediantur à ad Instar, nisi specificentur.

1. *Ad Instar* nimirum aliarum Indulgentiarum aliis Ecclesiis, locis, personis concessarum, super quibus non vult Pontifex expediri literas, nisi specificentur, tum ne nimium multiplicentur Indulgentiæ, tum ut præcaveantur fraudes, quæ facile in ejusmodi generalitate irrepunt.

REGULA LV.

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum

datum

datum provideri, 3 verus annuus valor 4
per Marchas argenti, aut Sterlingorum, vel li-
bras Turonen. parvorum, seu florenos auri, at
ducatos, vel uncias auri, 5 seu aliam moneta
secundum communem estimationem 6 exprin-
tur, nisi personæ prædictæ beneficia, quæ tu
obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus ei
competit, 7 juxta ipsarum oblationes, 8 aut
alia dimittere teneantur, alioquin gratia prædic-
ta sint nullæ: 9 Et idem servetur in gratiis
quas à Sanctitate Sua 10 Motu proprio manere
contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus
per Sanctitatem Suam pro tempore provide-
tur seu provideri mandatur, aut alias dispo-
nitur, ac literis per quas pro tempore ad Eccle-
siarum Patriarchialium, & Cathedralium, et
Monasteriorum regimina promotis conceditur, et
Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica secu-
laria, & regularia per eos obtenta, & in quibus,
& ad quæ jus eis competit, retinere possunt.

1. Conditorum hujus Regule facit Gomeſius Urbanum IV. Alphonſus Urbanum VI.

2. Aliorum quorumcunque Beneficiorum, exceptis Beneficiis, quæ habentur in stipendium & non in titulum. Alphon. hic Tuscus prælati concl. to. 6. concl. 99. & pensionibus, si assignatis non sint in titulum. Gonz. ad Reg. Cancell. gl. 5. §. 5. n. 15. & seqq.

3. Vetus

3. *Verus annuus valor*, si itaque minor aut major expressus fuerit, gratia nulla est ex stylo Curiae Rom. & exprimendus est distinctè unum non excedere 100, & aliud 24, non in confuso, v. gr. utrumque non excedere 124. *Garc. de Benef. p. 6. c. 2. n. 155.* Valor vero Beneficiorum obtentorum exprimendus est, ne uni per plura Beneficia plus attribuatur, quam exigat illius indigentia, & capiat contra Canones plurimorum stipendia. Valor autem obtinendorum exprimitur, ne per valoris taciturnitatem Annatae defraudentur, quae ad subventionem Papae & Cardinalium indigentiam introductae sunt. *Gomes, ad hanc Reg.* Canonici tamen Germaniae & Hispaniae ex generali consuetudine & stylo Curiae, atque etiam secundum Concordata Germaniae rescribuntur omnes ad 24. Ducatos, ut nimirum vitentur Annatae, ideoque ne gratia fiat nulla, addi solet in literarum expeditione. *Verus valor & vacationis modus &c. Habeantur pro expressis.*

4. *Per Marchas argenti &c.* quis sit valor monetarum, quae hic nominantur diximus supra *Cap. 10. §. 5.*

5. *Seu aliam monetam* pro diversitate populorum, apud quos in usu est.

6. *Exprimatur.* Dupliciter exprimi potest valor, vel per ascensum v. gr. Reditus Beneficii ascendunt ad Ducatos centum, vel per non excessum, ut: proventus non excedunt Ducatos viginti quatuor auri, & hoc posteriori modo fit hodie expressio valoris. *Lott. l. 9. q. 20. n. 86. & 87.* cum sit accuratior, nam primus modus non excludit majorem quantitatem. Cum autem verus valor difficulter habeat certitudinem, ideo error bona fide com-

missus non vitiabit gratiam. Covarr. l. I. variis
c. 20. n. 7.

7. *Juxta ipsarum obligationes*, hoc est in
ta petitionem partis impetrantis, quæ offertur
supplicatione per assentionem secundi Beneficij
dimittere illud, quod obtinebat.

8. *Aut alias*, nimirum si impetrans Bene-
ficii curatum, habeat aliud curatum, non tenetur
illius valoris facere mentionem in assentione
secundi, cum primum vacet ipso jure.

9. *Et idem servetur in gratiis*, quas à Sancti-
tate sua Motu proprio &c. usque ad finem,
addita sunt à Pio IV. aliisque post eum Pontifi-
cibus.

10. *Motu proprio*, ideoque hæc regula etiam
observanda est in gratiis motu proprio concessis,
quæ alia in Regula Innocentii VIII, excipiebantur,
ac proinde à Pio IV. ac Successoribus ejus hæc ver-
ba expuncta sunt: *Nisi motu proprio gratia hujus-*
jusmodi fiant.

REGULA LVI.

De clausulis in Beneficiis vacanti-
bus ponendis.

Voluit, & ordinavit, quod quan-
do providet, seu mandat provideri-
licui de Beneficio Ecclesiastico vacan-
te, tunc dari potuerunt I clausula
petantur, etiamsi illud quovis modo &c.

seu per Constitutionem Execrabilis vacet, & specialiter reservatum inter aliquos litigiosum sit, & ejus collatio devoluta fuerit, & si pro collitigante, vel subrogationem, aut 2 Si neutri, vel 3 si nulli &c. potente, si tunc lis specificè exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione specialis, & expressa, ac 4 purè, & non sub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reservationes ibi contenta veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut 5 in Novis provisionibus, seu pro collitigantibus, Si neutri, vel si nulli &c. sit expressum, quod ab aliquibus asseritur illum, cujus beneficium conceditur, Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel familiarem, Notarium, aut dicta Sedis Officialem fuisse, clausula ponatur etiamsi dictum beneficium ex eo quod talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel familiaris, Notarius, aut dicta Sedis

Officialis fuit, dispositioni Apostolica generaliter reservatum existat, Dicitur modo non sit in eo alicui specialiter perquisitum. In reliquis verò nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat, signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

1. *Clausula si petantur*, nimirum in supplicatione, in qua post petitionem gratiæ principalis supponi solet relicto aliquo spatio, petitio formæ, sub qua literæ expediendæ sunt, prout dictum est. *Cap. 9. de Dataria.*

2. *Si neutri*, nimirum ex duobus litigantibus jus sit quæsitum.

3. *Si nulli*, hæc clausula ponitur, si ex tribus, vel pluribus litigantibus de eodem beneficio, & jus nullum habentibus, provideatur à Papa uni de tali Beneficio.

4. *Purè*, id est simpliciter, ut dicatur: Beneficium vacat per mortem talis, & non vacat, ut dicitur vel asseritur. *Arg. l. 1. §. si quis simpliciter ff. de verb. oblig. junct. Glos.*

5. *In novis Provisionibus.* Nova provisio est provisio Papæ ad alterius provisionis factæ ab alio confirmationem. Dicitur nova, quo ad Papam, qui eam de recenti confert, quamvis collectio, præsentatio, electio ab aliis jam ante facta fuisset, sed quia dubia fuit validitas prioris provisionis

visionis, petit impetrans novam provisionem à Papa. *Rebuff. in praxi tit. de nova provisione.*

6. *Per duplex Fiat*, per unum namque concedit Papa petitionem gratiæ principalis, & per alterum *Fiat* concedit clausulas, quæ in posteriori parte supplicationis ponuntur.

REGULA LVII.

De expressione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus.

Item voluit, quod super beneficiis Ecclesiasticis I de qualitatibus illorum videlicet, an Dignitates, Personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmativè, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expressè desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

I. *De qualitatibus illorum.* Qualitates sunt exprimendæ, vel enim inductæ sunt à jure, & hæc si omittantur, vitiant gratiam. *Ménoch. de arb. jud. l. 2. cent. 2. casu 201.* Vel sunt indu-

Gg 5.

ctæ

Etæ ex stylo Curiaë, & hæc sunt exprimendæ, alii qui literæ vitiantur. *Menoch. l. c. casu 201. n. 27.* quia stylus Curiaë habetur pro lege.

REGULA LVIII.

De Beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii.

Item si reservetur beneficium per contractum Matrimonii, 1 non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, 2 nisi sequatur matrimonium, Sed in beneficiis per promotionem, 3 aut ingressum Religionis, vel affectationem vacaturis, ponatur clausula etiam si non petatur, Cum beneficia huiusmodi premissa, vel alias quovis modo &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiam si vacent. Decernens irritum &c.

1. Non dentur alii modi vacationum de futuro, ne nimirum Pontifex Clericum de Matrimonio cogitantem præcipitet in necessitatem, vel majorem det causam illud contrahendi: si videat, non solo Matrimonii titulo, sed aliis etiam modis se in periculo versari amittendi beneficium.

2. Nisi sequatur Matrimonium actu & re ipsa per verba de præsentibus, & non solum per verba de futuro, sive sponsalia *Sanchez. l. 7. de Matrim. Disp. 42. n. 1.*

3. aut

3. *Aut ingressum Religionis.* Hæc non habentur in Reg. Innocentii VIII.

REGULA LIX.

De clausulis ponendis in litteris Religiosorum.

Item voluit, quod si petatur aliquem 1 in Religionem recipi, & sibi de quovis beneficio Ecclesiastico provideri per simplicem signaturam Fiat, Receptio hujusmodi duntaxat detur, adjecto, 2 si petens idoneus sit, aut aliud Canonicum non obsistat, & exprimatur si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, & si numerus iste non existat, ponatur, Dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur. 3 Possintque Executores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere.

1. *In Religionem* non mendicantem, nam ad Regulares mendicantes hæc Regula non spectat, hi namque incapaces sunt beneficiorum, ob renuntiationem omnis proprietatis.

2. *Si petens idoneus sit.* Licet hæc clausula semper subintelligatur. *c. Eunuchus dist. 55.* hic tamen exprimitur, ut examinetur admittendus à Prælato Monasterii, vel Canonico Ecclesiæ Cathedralis. *c. Statutum de rescrip. in 6.*

3. *Pos-*

3. *Possuntque Executores &c. usque ad finem.* His ampliata est Regula à Clemente VIII, & aliis postea Pontificibus. Quando ergo secularis petat ingredi Religionem volens sibi conferri aliquod beneficium Regulare, poterit per hanc Regulam admitti ad professionem ante annum Novitiam absolutum, quem alias exigit Concilium Tridentinum. *Sess. 25. c. 15.*

REGULA LX.

De translatione Religiosorum.

Item, si Regularis petat sibi de beneficio ab aliquo Monasterio, vel alio Regulari loco dependente provideri, & appareat ex petitione huiusmodi, quod alterius Monasterii, vel loci si Religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, & nihilominus illa veniat.

I. *Nihilominus illa veniat, vult per hanc Regulam Pontifex, ut si Religiosus unius Monasterii petat Beneficium pertinens ad aliud Monasterium, vel locum Regularem ab eo dependentem, transferatur ad illud Monasterium vel locum et si translationem ipse non petierit, ad vitandas nimirum dissensiones, & incommoda, quae oriri possent inter Religiosos diversorum Monasteriorum eorumque Superiores.*

REGULA LXI.

De clausula, Si est ita.

Item, quod in litteris super beneficiis per

Con

Constitutionem Execrabilis, vacantibus ponatur clausula, *i* Si est ita, similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

I. Si est ita. Licet hæc clausula semper subintelligatur. *Gloss. in c. II. de rescrip.* ponitur hic tamen expressè, tum ob simplices animos dubitantes. *c. 1. de nova forma fidel. coll. x. & l. II. C. de Jurisd. vid. toll.* Tum quia conditio, quæ inest, etiam de jure non facit contractum conditionalem, si non exprimitur. *l. Conditiones ff. de cond. & demonst. Not. in c. Significasti de elect.*

REGULA LXII.

Petenti provideri de vacaturo, dentur litteræ de vacanti.

I. Item petenti sibi provideri de Vacaturo, dentur litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti.

1. Item petenti. Regula Innocentii VIII, paucis mutatis sic habet: *Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur etiam de vacante, & è converso, prout expedierit impetranti.* Sed re ipsa differre non videtur à præsentii Innocentii XII., & sensus illius est, quem refert Glossator, ut *si quis impetret beneficium proximè vacaturum*
per

per matrimonium beneficiati, nuptias v. gr. jam institutas ad certum tempus ponatur in literis. Providemus tibi de beneficio per talem matrem vacaturo, vel jam vacante, si nimirum nuptie jam sint peractæ.

REGULA LXIII.

Revocatio Decimarum, & aliarum impositionum.

Item revocavit quascunque Decimarum, necnon subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum per sel. rec. Innocentium XI. Prædecessorem nostrum impostarum quatuor Kal. Octobris Pontificatus ipsius anno septimo, & per eundem extensarum, seu inactarum ad aliud triennium per litteras in forma Brevis habite die vicesima quinta Novembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo Pontificatus ipsius anno tertio decimo, necnon aliarum Decimarum, subsidiorum, & onerum impositionum in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes) & quascunque facultates super Decimarum, vigesimæ, & onerum huiusmodi exactione, quibusvis fructuum & proventuum Camera Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nunciis ad

eisdem Prædecessoribus concessas. Suspendit quoque, ad Suae Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ beneplacitum quascumque plenarias Indulgentias ab eisdem prædecessoribus ex quavis causa etiam expeditionis hujusmodi si quæ per Nuncios, vel Quæstores deferebantur, non tamen ab eodem Innocentio Prædecessore per litteras in forma Brevis sub die tertia Decembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto Pontificatus ipsius anno decimo concessas, nec non deputandi, & eligendi Confessores, qui plenarie absolvant, & alia faciant ad earundem Indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas Indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea, in quibus Indulgentiæ, & facultates in aliqua sua parte sint sortitæ effectum. Ita ut illis, qui implentes injuncta eis in litteris Indulgentiarum hujusmodi jam conequuti sunt facultatem eligendi Confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo: per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum: Decrevit quoque irritum, & inane quicquid facultatum revocatarum earundem prætextu, imposterum contigerit attentari.

i. Hæc in nonnullis diversa est à Regula Innocentii VIII, & reliquorum Pontificum, maxime quod non revocet Decimas impositas ab Innocentio

tio

tio XI. in subsidium expeditionis contra Turcos
& Orthodoxæ fidei hostes ; Nec etiam suspendit
Indulgentias plenarias concessas ab eodem Inno-
centio XI per Literas in forma Brevis anno 1687
13. Decembris.

REGULA LXIV.

Revocatio facultatum percipiendi
pretium Officiorum.

Item revocavit, cassavit, & annullavit, & irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanae Curiae pro tempore vacantium in toto, vel in parte, & quasvis concessiones, & collationes, aliasque dispositiones per felic. rec. Alexandrum VIII, aliosque prædecessores de dictis Officiis etiam ex die collationum, concessionum, & dispositionum earundem in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum, Collegiorum, seu eorum Mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso, & sub quavis alia verborum forma, quam, & præmissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas, & factas, quoad Officia, quæ post obitum dictorum Prædecessorum, vacarunt, & imposterum quomodolibet vacabant. Item revocavit

vit quoque, cassavit, & annullavit, ac irri-
 tas declaravit quascumque Infeudationes, Inve-
 stituras, Grantias, Concessionones quoquomodo etiã
 in Emphiteusim, ad tempus, seu in perpetuum,
 etiam Motu proprio, & de plenitudine potesta-
 tis, ac cum quibusvis derogatoriis derogato-
 riis (extra tamen Consistorium, & sine S. R. E.
 Cardinalium Consilio, & consensu) à die Consti-
 tutionis fel. record. Pii Papæ V. Prædecessoris sui
 super prohibitione alienandi, & infeudandi civi-
 tates, & loca S. R. E. sub datum Romæ apud S.
 Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo
 quingentesimo sexagesimo sexto, Quarto Kalend.
 Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, usque in
 presentem diem, per quoscumque Romanos Pon-
 tifices suos Prædecessores, aut mandato, vel
 auctoritate eorum, quomodocumque, ac qua-
 litercumque, & quovis colore factas, & con-
 cessiones de civitatibus, Terris, Oppidis, Castris,
 Arcibus, & locis S. R. E. & Sanctæ Sedi aposto-
 licæ, & tam mediâtè, quam immediâtè subje-
 ctis, tunc videlicet de tempore dictarum infeuda-
 tionum, investiturarum, gratiarum, & con-
 cessionum nondum devolutis, necnon quascum-
 que prerogationes, & extensiones quarumcum-
 que infeudationum, investiturarum, gratia-
 rum, & concessionum de dictis Civitatibus,
 Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis,
 tunc

tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, & extensionum nondum finitarum quavis personis, cujuscumque gradus, status, conditionis, & præminentie, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgenti Dignitate, etiam in vim contractus, & quocumque titulo etiam oneroso, & per quocumque tam sub plumbo quam in forma Brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocumque, & qualitercumque expeditas litteras, ac sub quavis verborum forma, quam, & præmissorum omnium tenores, Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissimè extendendos.

i. Adjunxit hanc Regulam Paulus V.

REGULA LXV.

Quod fructus in tertia parte augere possint vigore clausulæ.

Item, cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacantium, & certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annum valorem non excedere, nonnunquam obtineant à Sanctitate Sua, ut hujusmodi

lorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione litterarum, super huiusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate huiusmodi concessionis imposte- rum hesitari contingat, Declaravit prae-textu concessionis huiusmodi, va- lorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, qua desuper fiet litterarum expeditione dumtaxat augeri posse, & eas quas litteris jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro au- gmento praedicto, denuo desuper expe- diri contigerit litteras, cum aliquo augmento valoris huiusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi Motu proprio beneficiales gratiae, & dispositiones quaecumque, à Sanctita- te Sua emanaverint.

i. Addita à Paulo V.

RE-

REGULA LXVI.

De infordeſcentibus.

Item, ne personis, pro quibus littera Sua Sanctitatis emanabunt obgeneralem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent ad eorum effectum indifferenter concedi, & in litteris Apostolicis apponi solita, praestetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & in infordeſcendi in illis, statuit, & ordinavit hujusmodi absolutionem, & clausulam in litteris, quas in futurum cum illa concedi contingeret non suffragari non parentibus rei iudicatae, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, ac res veritas ad Infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticae libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus,

Et Nuncios, vel Exequutores Apostolica Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes, impredientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum 3 inforduerint.

1. Est Pauli V.

2. Infordescendi, dum veluti pecora in stercore & fordibus scelerum suorum se volutant.

3. Inforduerint. In Paschate absolutus etiam ad reincidentiam & statim reincidisset, dici non potest infordescens. Congr. Cont. Perusina apud Nicolium de Reg. Cancel.

REGULA LXVII.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales

Hb

Ro-

Romana Curia, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio Officiorum, quae obtinent, non contenti, ultra prosequentibus negociorum quorundam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districte precipiendo inhibuit omnibus, & singulis quavis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cetero quicquam praetextu Officiorum, quae obtinent quovis colore etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quae eis incumbunt, malitiose differre, sub Excommunicationis; & praeter illam suspensionis & perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro secunda ad annum, & pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis. Ac voluit, quod S. R. E. Vicecancellarius, & Cameraarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, ut pra-

præfertur compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, & alias, prout melius expedire viderint, procedant.

REGULA LXVIII.

Reservatio Beneficiorum vacantium Sede Apostolica vacante.

Item Sanctissimus D. N. providens considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tam Conclavistis, quam pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere omnia, & singula beneficia per Regulas Cancellariæ Apost. aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari solita,

Hh 2

solita,

Solita, qua à die obitus fel. record. Alexandri VIII. Prædecessoris sui, usque ad diem duodecimam Julii currentis vacaverunt, & I de quibus per quoscumque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat, sed minus validè dispositum fuerat, sua provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum &c.

I. De quibus per quoscumque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat. Inviolandum ergo ordinariis Collatoribus ut Beneficia ad suam collationem jure communi spectantia, si vacent Sede vacante, mature conferant, priusquam electo novo Pontifice Regulæ Cancellariæ, & per eas reservatio Beneficiorum reviviscant,

REGULA LXIX.

Revocatio Indultorum Superventivæ.

Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit Prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis pretextibus concessisse, & indulgisse beneficiatis, et fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel

erga Creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum, ad vitam supplicantium cum gravi Successorum præjudicio, & Ecclesiarum detrimento. Ideo indemnitati Ecclesiarum, & Successorum beneficiis huiusmodi salubriter consulere volens, Revocavit, cassavit, & annullavit omnia, & singula indulta, & facultates in ea parte, qua nec dum vere, & realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones; & emolumenta quæcumque quomodolibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam Beneficiatorum, & tempus quo beneficia huiusmodi obtinuerint minimè restricto, & coarctato illorum tenores &c. Decernens irritum &c.

RE-

REGULA LXX.

Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

Item, cum S. R. E. Cardinales S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prerogativis, & privilegiis gaudere, Idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus, & Regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel constitutiones edende de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, & seu in eisdem Regulis, & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

I. Seu in iisdem Regulis & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio, Non habentur in Regula Pauli V.

REGULA LXXI.

Quod Regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

Item

Item Sanctitas Sua statuit, & declaravit, quod præmissis, & quibusvis aliis Regulis Cancellariæ suo tempore edendis, ac publicandis, nunquam censeatur derogatum, in quibuscumque Constitutionibus, Litteris, Brevibus, Indultis, & aliis Ordinationibus Apostolicis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia emanatis, per quæcumque verba, & Decreta derogatoria, irritantia universalialia, & amplissima, & clausulas quantumvis efficacissimas etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, & individuae expressivis vim habentes, & habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, & non aliter, nec alio modo.

REGULA LXXII.

De Potestate Reverendissimi Dñi.
Vice-Cancellarii, & Cancellariam Regentis.

Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum quibus gratia, & concessionis fiunt, ac Beneficiorum, dum tamen de corpore constet,

Item

Item, quod possit omnes causas Beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item quod processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachii secularis, & sententias executioni demandari facere contra intrusos, & intrudendos per litteras Apostolicas desuper consiciendas, & non alias.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas, de Beneficiis Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus dispositioni Apostol. generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonens. parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem estimationem, valorem annuum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, sineutri, & Subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad ordines suscipiendos aetatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc à jure statuta tempora, in quibus sic aetati successive ad ipsos Ordines promoveantur.

Placet, Publicentur, & describantur A.

Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ Regula, Ordinationes, & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex RR. PP. DD. Majoris Præsidentia Abbreviatoribus Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sextentesimo nonagesimo primo die vero vigesimo primo mensis Julii Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri INNOCENTII XII. Anno Primo.

Joseph Maria Minicotius
Procustos.

C A P U T XIII.

De Secretaria Apostolica.

1. *Gratia & Justitia conceditur etiam in Secretaria Apostolica.*
2. *Olim constituebant Secretariam Secretarii qui expediebant literas nomine Pontificis.*
3. *Vel sub plumbo, vel sub annulo Piscatoris.*
4. *Innocentius VI. instituit Collegium Secretariorum.*
5. *Ex quo olim sumebantur Secretarii Legatorum & Nunciorum.*
6. *Emunt Secretarii Officia & percipiunt emolumenta ex Brevibus.*

7. *Ex*